CONSTITVTIONES EDITAE IN SYNODO DIOECESANA ROSSANENSI,

Quam Reuerendissimus P. D. Lancilotus + de Lancellottis *Archiepiscopus habuit Anno Domini, M D LXXIIII. Cal. Iunij.*

Addita sunt quędam Decreta Tridentini Concilij, & Constitutiones summorum Pontificum, quarum cognitio neçessaria erat.



ROMAE, Apud Hęredes Antonij Bladij Impressores Camerales, Anno Domini M D L X X I X.

11 Ag. 1580

LANCILOTVS DEI
ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPICOPVS ROSSANI

Vniuerso Clero nostro salutem in Domino.

VBi primum diuina uoluntate, ad huius Ecclesiæ gubernationem uocati sumus, id unum semper optauimus, atque à patre misericordiarum Deo assiduis precibus expetiuimus, ut oues Christi, fidei nostræ concreditas, in ueram pacis, & salutis uiam, Spiritus sancti gratia adiutrice, dirigere possemus: quamobrem ea cura antiquissima nobis fuit, conuocandi ex præscripto sacri Concilij Tridentini, nostrā diœcesanam Synodum. in qua quidem cum decreta aliquot, ad clericalis disciplinæ conformationem, & fidelium nostrorum utilitatem sane quam necessaria condita fuissent, eadem Romæ deinde ab Illustrissimis Cardinalibus, quorum ea cognitio est, examinata ac probata sunt. ex quo factum est, ut serius aliquanto quam uolebamus ederentur. Sed gratias

agimus Deo, quod pergratam huius tarditatis usuram cepimus. uos enim interea decreta ipsa, uita exemplo, & bonorum operum luce magna ex parte expressistis, ut merito sperandum nobis sit, multo uos deinceps alacriores, & promptiores futuros ad ea exequenda, quibus iam antea, non tam legis necessitate, quam uirtutis, & christianæ pietatis studio obtemperastis. Accipite igitur hilari animo fratres carissimi Constitutiones nostras synodales, quas modo typis impressas uobis damus. ite de uirtute in uirtutem, implete gaudium nostrum. Atque ut à uobis loci, & personæ uestræ ratio requirit, morum integritate, religionis cultu, uitæ sanctimonia, omnibus denique charitatis officijs fideli populo prælucete. ut in die retributionis, à iusto Iudice, cum de uestra, tum de aliorum salute, duplicatam mercedem reportetis. Valete in Domino.

INDEX TITVLORVM.

DE PROFESSIONE CATHOLICAE FIDEI.

FIDES Catholica, quam ſancta Romana Eccleſia ueritatis magiſtra profitetur, & colit, tam neceſſaria eſt hominum ſaluti, ut ſine ea placere Deo nullus poſsit. Quapropter iuxta ſacri Concilij Tridentini Canones, & rationem emittẽdæ eiuſdem fidei profeſsionis a Pio Quarto fe. re. editã, nos publice in hac noſtra diœceſana ſynodo eã profeſsi ſumus: quam pro noſtro paſtorali officio, ut omnes, ac ſinguli qui nobis in Domino ſubiecti ſunt, firmiſsimo mentis aſſenſu amplectantur, & aperta ubiq; locorum ac gentium profeſsione præſeferãt, cohortamur, atq; præcipimus: tũ præterea ut ſimul quęcunq; Spiritu ſancto duce ſacroſanctæ ſynodi Tridẽtinæ Canonibus, ac decretis sãcita ſunt, recipiant, & obſeruent. Quo uero ea profeſsio ubi opus fuerit, fieri queat commodius, commemoratam profitendi fidei formulam huic ſacræ ſynodo aſcribi uoluimus, ac perpetuo ab omnibus deinceps obſeruari iuſsimus, ſiue ea in ſynodo ſit, ſiue alias ab his qui prouiſi poſthac fuerint de Canonicatibus, Dignitatibus, ſeu Beneficijs curatis, aut etiam a quibuſuis alijs iureiurãdo palã recitanda.

Heb. 11.

Seſſ. 25. c. 2. de refor. & ſeſſ. 3. de ſymb. fidei.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12.

FORMVLA AVTEM PRAEFATAE Profeſsionis fidei hæc eſt.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei quo Sancta Romana Eccleſia utitur, uidelicet. Credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, uiſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in unum Dominũ Ieſum Chriſtum, filiũ Dei unigenitum. Et ex patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero. Genitum non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtrã ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu sãcto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum: ſedet ad dexteram patris. Et iterum uenturus eſt cum gloria iudicare uiuos, & mortuos, cuius regni nõ erit finis. Et in Spiritũ ſanctum dominum, & uiuificantem, qui ex patre filioq; procedit. Qui cũ patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas. Et unã ſanctam catholicam, & apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſsionẽ peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & uitam uenturi ſęculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasq; eiuſdẽ Eccleſiæ obſeruationes, & cõſtitutiones firmiſsime admitto, & amplector.

Item ſacram ſcripturã iuxta eum ſenſum, quem tenuit,

& tenet

& tenet Sācta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de uero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoq; septē esse uere & proprie sacramenta nouę legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutē humani generis, licet nō omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoq; & approbatos Ecclesiæ catholicę ritus in supradictorum omniū sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo uerum, propriū, & propiciatorium sacrificium pro uiuis, & defunctis, atq; in sanctissimo eucharistiæ sacramento esse uere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substātiæ uini in sanguinem, quam conuersionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atq; integrum Christum, uerumq; sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fideliū suffragijs iuuari, similiter & sanctos una cū

Christo regnantes uenerandos, atq; inuocãdos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse ueneraudas.

Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitũ honorem, ac uenerationem impertiendam.

Indulgẽtiarum etiam potestatem à Christo in ecclesia relictã fuisse, illarumq; usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam catholicam, & Apostolicam Romanã Ecclesiam omnium ecclesiarũ matrem & magistram agnosco: Romanoq; Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi vicario ueram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cetera item omnia á sacris Canonibus, & œcumenicis Cõcilijs, ac pręcipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, & declarata indubitáter recipio atque profiteor: simulq; cõtraria omnia, atq; hęreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc ueram catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in pręsenti sponte profiteor, & ueraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam usq; ad extremum uitæ spiritum, cõstantissime, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atq; a meis subditis, uel illis quorũ cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prędicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem .N. spondeo, uoueo, ac iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

DE

DE ALB'ANENSIVM ſeu Græcorum peculiari cura habenda.

MOnet paſtoralis officij debitum, ut ſolicitudinem noſtram, & paternũ affectũ amplius erga infirmiores oues extendamus. Cum igitur in hac noſtra diœceſi Græci quidam Albanenſes uulgo nũcupati, noſtræ iuriſdictionj in ſpiritualibus ſubiaceant, qui cum a ſanctorũ Patrũ Græco ritu degenerauerint, Eccleſiæ etiã Catholicæ Romanæ obſeruationes ignorant, eorum ſaluti conſulere uolẽtes, iuxta Beneuentanæ ſynodi ſub Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo D. Cardinali Sabello, Archiepiſcopo Beneuẽtano celebratæ fructuoſa, & ſalutaria decreta, quæ Grçcos etiam noſtros amplecti uolumus, ea quæ ſequuntur ab eiſdem in perpetuum obſeruari mandamus.

In primis, cum paruuli uſu rationis carentes nulla neceſsitate teneantur, ut ſacrã ſumant Euchariſtiã, caueant omnino tam clerici, quam layci, ne eam ullo unquam tempore infantibus impartiantur, antequam ad annos peruenerint diſcretionis.

Deinde inſtituãtur omnes de reali præſentia Domini Ieſu Chriſti in ſacramento altaris, ac de ueritate, totoq; Euchariſtiæ myſterio edoceãtur, doctrina ex ſacro Tridentino Concilio, & Catechiſmo deſũpta. Tãtum autem ſe quiſq; ſumere intelligat ſub una, quã ſub utraq; ſpecie, ac nulli deinceps layco, ſeu clerico, ſeu etiam non celebranti, aliter quam sub altera ſpecie panis tantum ſacra Communio concedatur.

Intelligant omnes, præcipue uero ſacerdotes, uerbis

tantum-

tātūmodo illis cōſecrationis, Hoc eſt enim Corpus meū, &, Hic eſt enim Calix &c. intētione actuali conſecrandi, ſeu uirtuali adhibita, uere confici corporis, & ſanguinis Domini ſacramentum; nec præterea de neceſsitate requiri ad id perficiendū orationes, quæ in miſsis ſequuntur, aliter uero tenentes, ſciant ſe ſub anathemate eſſe.

Aſſeruetur autē ſacra ipſa Euchariſtia decenter ſub ſpecie panis tantummodo, ut opportunè infirmis prius rite confeſsis deferatur, & porrigatur, nec in poſterū commiſtio aliqua fiat in adminiſtratione Cōmunionis, ſtudio ſe nihilominus caueatur ne particulę decidant in terram, aut aliàs pereant.

Renouetur ſacra Euchariſtia in ſacrario octauo quoq; die, & quæ aſſeruata fuit à ſacerdote ſacrificāte ante ablutionē in Miſſa ſumatur: in Miſſis uero, ac reliquis celebrādis officijs diuinis, Pij Quinti ſanctæ mem. Conſtitutio obſeruetur: nec Græcis latino, aut Latinis Græco ritu Miſſas, aliaue diuina officia peragere deinceps ſit liberū.

Cauēdū inſuper erit, ne quiſquā ſacramentū confirmationis ab alio, quā à nobis, uel ſucceſſoribus noſtris recipere audeat, cū nullus alius ſacramenti huius, præter Epiſcopum, ſit miniſter ordinarius. Chriſmate, ac oleis tum Catechumenorum, tum infirmorum non alijs utantur in Baptiſmi, ac Extremæ vnctionis adminiſtratione, quam illis, quæ ex noſtra Cathedrali Eccleſia quotannis acceperint, ſuperſtitionibus ſuis, quibus hactenus abundarunt, longè abolitis.

Magni ſane refert, ut ſuā ſacerdotalis ordo dignitatē obtineat: ac proinde præcipimus, ut nullus poſthac ab alijs quā a nobis, ſeu ſucceſſoribus noſtris ordinetur, iuxta Ca-

ta Canonicas ſanctiones.

Feſtiuitates à ſancta Romana Eccleſia inſtitutas nulla ratione uiolare audeant.

Diem autem Veneris, etiam quatuor illis hebdomadibus Natiuitatis, Paſchæ, Pẽtecoſtes, & ante Quadrageſimã Catholicorum more obſeruent, nec carnibus poſthac his diebus ueſci ulli eorum liceat, ac in omnibus tandem iuxta Pij Quarti Conſtitutionem noſtræ iuriſdictioni ſubiecti ſint.

Ceterum quoniam & gens hæc ſuperſtitioſa eſt, & multis erroribus implicata, curandum eſt diligenter eam a ſuperſtitionibus ad puram religionem, ſanctamque ſuſcipiendam doctrinã auocari. Inſtituãtur ergo ſtudioſe populi iſti de Purgatorio, & ſuffragijs defũctorum animabus, quæ ex hac uita in pace commigrauerunt ferendis: de Spiritus ſancti diuinitate, & eius a patre, & filio diuina, ac æterna proceſsione.

De Summi Pontificis Romani Chriſti Vicarij in uniuerſali Eccleſia, totoq; Chriſtiano orbe ſuprema auctoritate, de indulgentijs, ac ceteris fidei noſtræ dogmatibus. Moneantur frequenter inſuper, ut pro Romano Pontifice, pro Archiepiſcopo, ac tota Romana Eccleſia orationes ad Deum ſæpe dirigant: nec amplius eis ſit liberum in Miſſæ ſacrificio pro ſchismatico Patriarcha orare, ſed orent potius omnes priuatim, ac ſuſpirijs communibus a Deo impetrent, ut tota gens ſchiſmaticorum pro unitate, & pace Eccleſiæ cõuertatur.

DE

DE HAERETICIS, INCANTAtoribus, Sortilegis, & huius generis hominibus.

Leuit. 11. MOnet Sacra ſcriptura & experientia plus ſatiS conſtat, quam ſint pernicioſi, quamque ubique uitandi, ac toto Chriſtiano orbi infenſi non modo hæretici, & apoſtatæ a fide, qui promptiſsimi ſunt ad euerſionem credentium, ſed etiam ſortilegi, diuinatores, & his perſimiles quam plurimi alij.

¶Curandum igitur diligentiſsime ab omnibus erit, & à Rectoribus eccleſiarum maxime, ne huiuſmodi homines ullo unquam tempore alicubi admittantur, neque ſubſtineantur, ut ſe ouili Chriſti immiſceant, ſed quam primũ cogniti fuerint, ad Prælatum deferantur.

¶Libri autem prohibiti, iuxta formam Indicis Romani, & auctoritate concilij editi nuſquã uendantur, emantur, legantur, aut a quoquam teneantur, ſub pœnis in ipſo Indice præſcriptis.

¶Quia uero indignum eſt ſacræ ſcripturæ verbis abuti, aut in rebus ludicris ſacras ſententias proferri, ſeuerẽ iniungimus, ut hac in re decretum ſacri Concilii Tridentini religioſe ſeruetur, ac ne uioletur ullibi, diligentem eius rei curam Parochi ut gerant, præcipimus. *Seſſ. 4. de edit. & uſu ſacr. lib.*

DE BLASPHEMIA.

CVm ubique gentium uenerabile ſemper fuerit Dei nomen; & memoria glorioſiſsimæ virginis matris, ac ſanctorũ omnium Chriſtianos homines maxime recreet; ferendi nulla

nulla ratione ſunt, qui uarii generis blaſphemiis concitato, ac impio animo in Deum, ſacram Matrem, Deique Sanctos inſurgunt, & polluto ore iniuriis etiam audent eos afficere. Quamobrem ut propugnatores diuinæ gloriæ nos eſſe decet, ſtatuimus, & decernimus, blaſphemos omnes pœnis illis eſſe pro grauitate delicti afficiendos, quibus eos ſacri Canones feriendos præcipiunt. Curent itaque Parochi, & omnes Chriſtifideles ſodalitia nominis Dei inſtituere: & pro gloria ipſius, zelo religionis ſtare, ut ex ore, cordeque hominum periuria, blaſphemiæque prorſus tollantur, ac penitus eradicentur.

DE RELIQVIIS SANCTORVM, ac ſacris Imaginibus.

NE quid in diuini cultus promotione deſideretur, decet maxime fidei propugnatores, ut quæ ab Hęreticis contemnuntur, ea omnia ipſi ſummo habeãt in honore. Ob eam igitur rem, circa ſanctorum reliquias, & ſacras imagines, ea perpetuo cura adhibeatur ab omnibus, iſque cultus religioſe ſeruetur, ac eis exhibeatur, quem ſacra Tridentina ſynodus ſeruandum exhibendumque eſſe decernit.

DE FESTORVM dierum cultu.

PEculiaris eſſe Epiſcoporum cura debet, ut feſti dies religioſe colãtur, in quibus cœleſtem refocillationem animus capit, Dei, ac Sanctorum laudes Eccleſia decãtat, populus Chriſti

de his,quæ credere & obſeruare tenetur, eruditur.Huius ergo rei cauſa merito prohibemus, ne Mechanicæ artes exerceãtur, ne ue ſeruile aliquod opus his diebus a quoquam fiat,ac ne quid etiam ematur, ſeu uendatur, præter illud tantummodo,quod ad uictum diei illius, uel ægrotorum curationem neceſſarium ſit, ita tamen, ut qui res huiuſmodi uenales habent, clauſas officinas teneant.

Nundinæ ſeu mercatus publici nullibi habeantur.

Curent uero Vicarij, ac Rectores animarum, nequid in feſtis diebus fiat, quod diuinum cultum, feſtique celebrationem impediat; ſed omnes diuinis officiis, & concionibus audiendis interſint, & ea beneficia, quæ a Deo hominibus conferuntur, his diebus grata memoria recolant, tranſgreſſores autem ſeuere coerceant.

Feſta autem, quæ præter omnes dies Dominicos per annum obſeruanda ueniunt, ſunt ea, quæ ſequuntur.

Ianuarius.
Circuncifio Domini.
Epiphania Domini.

Februarius.
Purificatio Beatæ Mariæ.
Matthias Apoſtolus.

Martius.
Sanctus Thomas de Aquino.
Annunciatio Beatę Marię.

Aprilis.
Marcus Euangeliſta.

Maius.
Philippus & Iacobus.
Inuentio ſanctæ Crucis.

Iunius.
Natiuitas Sancti Ioãnis Baptiſtę.
Petrus, & Paulus Apoſtoli.

Iulius.
Iacobus Apoſtolus.

Augustus.
Laurentius Martyr.
Asśūptio Beatæ Mariæ Virginis.
Bartholomæus Apostolus.

September.

Natiuitas Beatæ Mariæ.
Matthæus Apostolus.
Dedicatio Sancti Michaelis Archangeli.

October.

Simon, & Iudas Apostoli.

Nouember.

Festum omnium Sanctorum.
Festum S. Martini episcopi.
Andreas Apostolus.

December.

Conceptio Beatæ Mariæ.
Thomas Apostolus.
Natiuitas Domini nostri Iesu Christi.
Stephanus Protomartyr.
Ioannes Euangelista.
Festum Sanctorum Innocentium.
Festum Sancti Siluestri.

Festa Mobilia.

Resurrectio Domini nostri cum duobus diebus sequentibus.
Ascensio Domini nostri Iesu Christi.
Pentecostes, cum duobus diebus sequentibus.
Corpus Christi.

Pauperibus itaque nostræ Diœcesis cōsultum esse uolentes, tum etiam quo tanto sanctius festiuitates annuæ celebrentur, has tantummodo, necnon & illas, quæ pia & antiqua consuetudine publice obseruari solent, sub præcepti obseruatione coli ea lege declaramus, ut reliquas pośsint quicunque uoluerint ex deuotione obseruare, aut etiam sine peccato prætermittere.

DE INSTITVENDIS RVDIBVS in his quæ ad doctrinam Christianam pertinent.

Cum Christiana doctrina summa quædam sit eorum quę omnes christi fideles ex necessitate scire tenentur, ac obseruare: nos sacri Concilii canones executioni mandare uolentes, omnibus Parochis in primis iniungimus, ut Dominicis saltem, ac festis diebus pro sui officii munere, eã doctrinam doceant, & mane quidem circa missam, capita absque explicatione ita recitent, ut consequenter eadem qui adsunt, repetant, uocẽ Rectoris sequentes, postprandium uero circa uesperas ad campanæ sonum: conueniẽti in Ecclesia populo eandem doctrinam explicent ex libello, quem huius rei causa imprimere fecimus. Et quia præter indulgentiam a sede Apostolica concessam omnibus, qui eam doctrinam discunt, uel docent, aut etiam ad id faciendum auxilium suũ præstant: nos quoque quadraginta indulgentiæ dies eodem tenore (quo tanto libentius hoc pii laboris suscipiatur) concessimus, operã dabunt Parochi ut id in omniũ notitiã perueniat.

Conc. Trid. sess. 24. c. 4.

Hortamur autem, quammaxime in Christo Iesu possumus, tum magistratus omnes, ut Ludimagistros conducant qui non modo scientia, sed fide maxime catholica, & Christianis moribus sint probati, tum etiam ipsos Ludimagistros, ut salutaribus præceptis, & Christiana in primis doctrina pueros sibi commendatos erudiant: nec aliquem legere initio doceant, nisi ex eo Christianorum rudimentorum libello, quem ad hoc opportune instituimus: deinde uero consequenter iis tantũmodo libris eos

uti iubeant, qui ad pietatem inuitant, conducuntque legentes. Curent præterea eos frequenter erudire de obedientia quæ Deo in primis, ac deinde parentibus debetur, & ut debitam Chriſtiano affectu reuerentiam reliquis etiam maioribus pręſtent.

DE PRAEDICATIONE EVANGELII.

Fidem eſſe ex auditu verbi Dei, quod per concionatores catholicos proponitur, ſcriptura docet: unde manifeſtum eſt eãdem fidem ſacris Euangelii explicationibus foueri ſimul, & augeri. Ob quam cauſam mandamus ac præcipimus, ut omnes qui curam animarum habent, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſollemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & audientium capacitate, uerbis paſcant ſalutaribus, ea docẽdo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutẽ: annuntiandoq; eis cũ breuitate, & facilitate ſermonis, uitia quæ omnes declinare, & uirtutes quas ſectari oporteat, ut pœnã euadere, & cœleſtem gloriã cõſequi ualeãt. *Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 2. & 24. c. 4.*

Tempore autem ieiuniorum quadrageſimæ, & aduentus Domini quotidie, uel ſaltem tribus in hebdomada diebus ſacras ſcripturas, diuinamque legem annuncient: & alias etiam quotieſcũque id opportune fieri queat inter Miſſarum celebrationem, uel per ſe, uel per alios (ſiquidem legitime impediti fuerint) ex his quę in Miſſa leguntur, aliquid exponant: atq; inter cetera tum de Sacramentis aliis Eccleſiæ, tũ maxime ſanctiſsimi huius ſacrificij myſteriũ aliquod, ex catechiſmo, ſeu quouis catholico libro declarẽt. Et a quęſtionibus inutilibus, quę ue in

diſcri-

diſcrimine dubitationum audientium ingenia diſtrahere poſſunt, prorſus abſtineant.

Hoc autem paterne monemus, ut plena charitate erga Chriſti oues faciant, ne Prælatus cogatur eos qui ſui officij immemores fuerint, pœnis a ſacro Concilio, & canonibus inſtitutis cohercere. Inuigilent præterea Parochi omnes diligenter, ut ceteri quibus in hac noſtra Diœceſi, (licentia prius habita) conciones ad populum habere contigerit, tam regulares, quam ſæculares hæc omnia, & ſingula inuiolate ſeruent.

Concio uero paſsionis Chriſti hebdomada ſancta fieri ſolita, nuſquam de nocte habeatur, ut ſcandala euitentur; nec ullæ repræſentationes de rebus ſacris, niſi de expreſſa Prælati licentia, exhibeantur.

DE SACRAMENTIS.

QVanto clementius diuina Maieſtas gratiam ſuam in nos per ſacramenta infundit, tanto ſtudioſius curandum eſſe a Parochis decernimus, ut omni cum ueneratione, & pietate ea tradant, atque percipiant, & in adminiſtratione ipſorum puras manus, mẽteſque ab omni acceptione, quæ ſpeciem ſymoniæ, ſeu auaritiæ habeat, ſeruent, nec quicquam prorſus etiam a ſponte dantibus accipiant: ſuſcipientes de Sacramentorũ ui, & uſu ſolerter inſtituãt, neque ea ſine ſuperpelliceo, & ſtola adminiſtrent, quod tamen in ſacramento pænitentiæ tunc demum obſeruent, cum commode ab eis id fieri poterit.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

ANimarum Rectores sollicite curent, ut in primis obstetrices, & alii, si opus fuerit, Baptismi formam latino, uel uulgari sermone addiscãt: omnibus uero interdicatur, ne prçter eam ulla alia uerba addant, si quando contigerit, ut necessitate exigente, quempiam baptizent.

Forma autem hæc est. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Hanc si seruatam nouerint Parochi, denuo ne baptizent, sed infantem sic domi baptizatum, si superuixerit, in Ecclesiam, cum primum commode fieri poterit, deducant, inungãt, ac ceremonias reliquas, quæ ad solemnitatem Baptismi requiruntur, adhibeant.

Compatres non plures uno, uel una, aut ad summum unus, & una, quod sacrum concilium statuit, adhibeantur: qui non excommunicati sint, neque publici peccatores, uel qui eo anno Paschæ tempore confessi, & communicati non fuerint. Compatres sui officii admoneant Parochi, ut inde sciant spiritales filios, quos ex sacro fonte suscipiunt, commendatos esse sibi perpetuo debere, ut eos in Christianç uitç disciplina & moribus instruant. Hortentur non alia, quam Sanctorum nomina in sacro fonte baptizandis imponi: moneantque omnes, ut Dei sanctos, quorum nomina accipiunt, inde sibi patronos suscipiant uenerandos. *Conc. Trid. sess. 24. c. 2.*

Librum prçterea unusquisque Parochorum habeat, in quo baptizati parentum, & compatrum nomina, & cognomina describat, diem item natiuitatis, & baptismi,

mensem,

menſem, annumque expreſſe annotet, & num ex legitimis parentibus infans ortus fuerit. hunc autem librum fideliter conſeruet, in quo illud quoq; ſubnotetur, ſi quando contingat baptizatum parentibus eſſe ignotis.

DE CONFIRMATIONIS Sacramento.

DIligenter operam dabunt Parochi, ut ſciant qui nam ſint illi, qui ſacramentum confirmationis nondum ſuſceperunt, eos de dignitate eiuſdem Sacramẽti informent, & ad illum pie ſuſcipiendum inflamment: demum confirmati in libro deſcribantur, atq; ea in re eundem modum ſeruent, quem in deſcribendis baptizatis obſeruandum proxime ordinauimus.

DE SACRAMENTO Euchariſtiæ.

SAcroſancta Euchariſtia non ſolum eſt ad ſalutem adultis neceſſaria, uerum etiam cæterorum complementum eam eſſe Sacramentorum, & ſummam omnium myſteriorum ſuorũ Dominus uoluit. Quapropter animarum Rectores, maiori qua poterunt diligentia curabunt, ut omnes ad hoc ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumendum frequenter, ac reuerenter accedant, ut per participationem tanti boni diuinæ efficiantur conſortes naturæ. Tempore uero Paſchæ, illi qui

qui non cõmunicauerint, ad Prælatũ poſt eius octauã ſcri pto deferantur: Cauſas autem, quas extra confeſsionẽ Pa rochi nouerint, cur illi ad communionem non acceſſe- rint, eodem ſimul ſcripto referant, ut maturè prouideri poſsit.

Elapſa uero paſchæ octaua, moneantur ij quos Præla- tus excuſatos non habuerit, qui non communicauerint, tribus nimirum, aut vna monitione, quæ pro omnibus ſa- tis ſit. Quod si generatim nominati in contumacia per- ſeuerauerint, excomunicentur, & ingreſsu prohibeantur Eccleſiæ, ac inſuper Eccleſiaſtica ſepultura morientes ca reant. Mandamus inſuper Parochis, ne ſacram Euchari- ſtiam adminiſtrent, aut beneficium abſolutionis impar- tiantur concubinarijs, fœneratoribus, blaſphemis, ac alijs huiuſmodi facinorosis hominibus, qui praua conſuetudi- ne populum ſcandalizauerint, si poſtquam ſemel ad pęni tentiam, & communionem admiſsi ſub debitis contritio nis signis fuerint, ſecundo ad eadem peccata redierint, nisi prius uita, & moribus in melius mutatis, ſeſe obedien tes exhibuerint, & publico ſcandalo ſatisfecerint.

Exigant ſcriptũ teſtimonium de confeſsione, & cõmu nione ab illis qui aliqua iuſta cauſa etiam de licentia ſui Parochi extra ſuas parochias alio uſi ſunt ad eam rem ſa- cerdote, uel alibi cõmunicauerint, ac niſi eam fidem Pa- rocho fecerint, habeãtur, ac ſi non cõmunicaſſent. Cæte- rum Paſchæ tempore cõmmunicandi copia extra ſuã Pa- rochiam nulli fiat, niſi iuſta aliqua, ac legitima intercedat cauſa, quæ a Prælato uel Parocho ſit probata.

Hortentur populum, prout nos paterne in Domino monemus, ut frequens adſit, quãdo uel ad infirmos ſacra

communio defertur, uel procefsionaliter circunfertur. Quo uero ardentiori pietate, ac religiofius id faciãt, uniuerfis, & fingulis quadraginta dierum indulgentiã, quoties id officii peregerint, in Dominô elargimur. Illi autẽ, qui fuerint in plateis inuenti, dum facra Euchariftia deportatur, meminerint hunc fe debere Domino exhibere famulatum: ac proinde eos in Chrifto Iefu cohortamur, ut non modo genua flectant, fed reuerenter etiam uenerabile comitentur Sacramentum.

DE HIS QVAE AD SACRIFICIVM Miffæ pertinent.

MAnifeftum cum fit omnibus chriftianum populum nihil hoc facrificio dignius habere, fumma pietate, ac religione cũrent Sacerdotes, ne in Miffarum celebratione quidquam ulla ratione ab huius facrificii dignitate alienum committãt. Dum Miffæ quas nouas uulgus uocat, celebrantur, fimpliciter ea tãtummodo quæ chriftianus populus religiofe, fponteque obtulerit, accipi poterunt: ac ne auaritiæ, feu fymoniæ fufpicionis detur occafio, cauendum maxime erit a morofa, feu illiberali quacũque exactione eleemofynarum.

Conc. Trid. 22. feff. in dec. de obfer. in celeb. miff.

Eadem quoque ratione omnes folerter abftinere fe contendant a comeffationibus, & omni inanium oblectamentorum genere, quæ religionis prætextu eiufmodi tẽporibus præfertim exerceri folent.

Præterea ut fuo quifque officio, & populo chriftiano in celebrandis Mifsis fatisfaciat, inuigilent ne tanto

benefi-

beneficio, qui missam audituri sunt, fraudentur: ac proinde, si quando contigerit, ut is qui hac obligatione tenetur, aliqua necessitate urgente celebrare nequeat, tempestiue curet ut id quispiam alius præstet suo nomine.

Nusquam in nostra diœcesi absque commẽdatitiis sui ordinarii litteris permittatur alicui uago, seu ignoto sacerdoti celebrare.

Ante auroram, uel post meridiem Missæ non dicantur.

Vbi plures sacerdotes in eadẽ Ecclesia missas ex obligatione, aut consuetudine eadem die recitare tenentur, unus quidem eorum bene mane Missam faciat, alius uero quo tardius id fieri liceat, cæteri iusta quædam seruẽt temporis interualla, ut populi commoditati consulatur. Quod si plures simul contigerit celebrare, curandum erit ne altioribus uocibus se mutuo interturbent.

Ritus ac cæremonias ex præscripto Romani Missalis moderni omnes obseruent, nihil minuentes, uel addentes: & antequam celebrent deuote se præparent, ac post absolutum sacrum collecta mente Deo gratias agant.

Moneat Ecclesiarum Rectores omnes Christi fideles sibi commissos, ne dominicis, festisque diebus putent se præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro satisfecisse, nisi illud attente, deuote, ac integrum audierint. Hortentur autẽ omnes, ut a colloquiis omnino se abstineant: utrunque genu flectant: ac ne è templo egrediantur, donec benedictionem sacerdotalem post absolutam Missam acceperint. Deambulationes, & cursitationes in Ecclesia omnino prohibeant, ut debitus sacris templis honor exhibeatur.

Sicuti necessarium est, ut oratoria, etiam in Ecclesiis,

non nisi magna circunspectione concedantur, ac exigantur, in quibus diuinum Missæ sacrificium Deo offerri debet, ita quoque legitimum, ac pernecessarium est, ut conuenienter dotentur, ornenturque. Quamobrem decernimus ea Oratoria, ne deinceps acceptentur, quæ conuenientem dotationem iuxta onera missarum, quæ imponuntur non habuerint, cum Sacerdotes, qui altario seruiunt, inde uiuere merito debeant. Præcipimus ergo, ut pro Christiana pietate, si quod oratorium cõtigerit posthac ab aliquo erigi, cum pia quatuor saltem ducatorum annua dotatione, is sacerdos, cui idem oratorium collatum fuerit, uicisim ac pari pietate singulis hebdomadibus Missam unam celebret, ac oret quotidie pro dotantis, suorumque animabus.

Nullus autẽ posit ad plures quinque missas in uniuersum hebdomadatim celebrãdas se obligare, siue ratione beneficii curati, siue ex oratoriis: aliàs si cõtra hoc decretũ inscio Prælato factũ fuerit, collatio oratoriorũ sit nulla. Quod si hac, uel quauis alia ratione, quisquã sacerdotũ ita obligatione dicẽdarum missarũ se onerauerit, ut huic debito per se satisfacere non posit, arbitrio Prælati castigetur. Oratoria uero seu altaria eius sint amplitudinis, ut commode ac deuote in eis missa celebrari posit.

Et quia onera Missarum Oratoriorum, quæ hactenus erecta sunt, supportari omnino non, aut difficillime possunt, iuxta sacri Concilii decretum in eum ordinem, & numerum missarum reduximus, quem de Oratoriis cum obligatione Missarum deinceps erigendis constituimus, ut sacerdotes muneri suo satisfacere congrue posint, & pii fundatores oratione nõ fraudentur. Quorum cõmen-

dationem

dationem fieri insuper quotidie in sacris mandamus.

Ne diuinus cultus, & populi deuotio aliqua ratione uioletur, seu impediatur, quæstus nullus sub eleemosynæ prætextu, inter Missarũ soleńia, uel concione media fiat: & omnino in Ecclesiis quoquomodo mẽdicari tam clericis, quam laycis sit prohibitũ, sed ad portas Ecclesiæ se exhibeant excepturi eleemosynam a sponte dantibus.

Frequenter euenire solet, ut inter Missarum solemnia, quædam populo scitu pernecessaria manifestentur: quo autem id debito cum honore fiat, præcipimus, ut is qui tunc diaconatus ordinem exercet, in missa etiam si sacerdos fuerit, legat, ac denunciet palam ex superioribus gradibus, aut quouis alio ad id disposito eminentiori loco excommunicatorum nomina, festiuitates, & quæcunque alia eo die promulganda uenient.

In Missa quæ in die Purificationis Beatissimę Virginis celebratur, iis tantummodo cerei dentur, qui eos ad Ecclesiam accepturi ueniunt, curetur q; ut eos in processione, pro ueteri Ecclesiæ instituto, accensos deferant, quo Virginis Dei Matris sinceritas, & luce clarior & splendidior puritas eius hoc signo manifestetur, quæ lucem illã mũdo edidit, qua omnes homines in hũc mundũ uenientes illuminantur. Et quia multi quasi tributum debitũ eos cereos domi sibi mitti exigunt, auaritiæ, & fastus cuiusdã causa, præcipimus ne domum deinceps mittantur.

Detestandũ quendam abusum mundana uanitas inuexit, sub prætextu pietatis in Ecclesiam Christi, ut nimirũ Virgines ad Sacrum, concionesque audiendas nunquam aut rarissime ueniant, & fæminæ post maritorum maxime mortẽ, ut filiorũ, seu aliorum parentũ obitum diutissime

in

in tenebris etiam latitent. Hunc ergo abuſum eliminare prorſus uolentes hortamur, ut uirgines ad Eccleſiam ſingulis feſtis diebus, iuxta præceptum Eccleſiæ, a parentibus deducantur, miſſamque audiant: aliæ uero fæminæ moneantur, ut tenebras ſuas relinquentes ad Eccleſias, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis, miſſas auditure ſe conferant, nec amplius immoderato plãctu ingreſſum domus Dei & ſacrificium Miſſæ uitent.

DE ADMINISTRATIONE Sacramenti Pœnitentiæ.

VNiuerſalis Eccleſiæ mandatũ de annua confeſsione, & communione, inuiolate ita omnes obſeruent, ut intelligant Matrem Eccleſiam uehementer cupere, ut frequenter etiam infra annũ Deo ſe gratos per ſumptionem, & uſum horum Sacramentorum reddant.

Prohibemus iuxta ſacri Cõcilii decretum, ne quiſquã ſacerdos ſecularis, ſeu regularis cõfeſsiones ſecularium, aut ſacerdotum audiat, neque ad id idoneus reputetur, niſi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Archiepiſcopo per examen, ſi ita neceſſariũ uidebitur, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, in ſcriptis obtineat.

Pœnitentia publice peccantibus publica imponatur, & ſi qua ſemel huiuſmodi impoſita fuerit, nullus eam in aliam priuatam commutet, niſi facultate prius a nobis, uel ſucceſſoribus noſtris, ſeu a Vicario generali habita.

Neceſ-

Necessitas urget, vt Innocentii Tertii, & Pii Quinti fe. rec. sanctionibus inhærentes, præcipiamus, sicut omnino præcipimus sub excommunicationis pœna, ut nullus Medicorũ ad ægrotos in lecto iacentes curandos accedat, nisi infirmi a se, uel aliis moniti de suis peccatis quatriduo ut plurimum, postquam in morbum inciderint, confessi fuerint.

Parochi autem id obseruare studiose curent, infirmos quamprimum fieri queat, uisitent, ac monitis eos salutaribus eò inducant, ut Christo domino per Sacramentum pœnitentiæ se reconcilient.

Nullius cõfessionem absq; necessaria causa in priuatis domibus sacerdotes audiant; & fæminæ nõ confiteantur etiã in Ecclesia, nisi post solis ortũ, aut ante eius occasum.

Si quis in confessione monitus debitam non fecerit creditoribus suis satisfactionem, seu restitutionem, non absoluatur, nisi prius id præstiterit, modo possit.

Sciant omnes, & præ manibus habeant casus sedi Apostolicæ, & nobis reseruatos, de quibus fiet in fine harum constitutionum mentio.

Caueant autem Cõfessores, ne sint admodum faciles, aut nimium rigidi in pœnitentiis iniungendis, sed eas tantum salubriter confitentibus imponant, pro modo culpæ, & qualitate personę, quas religiose perficere possint. Hortentur eos, tum ut frequenter confiteantur, tum ne annuam confessionem in hebdomadam sanctam reiiciãt, ac multo amplius, ne ulterius eam differant, tum etiam ut præparati, ac præuio suorum peccatorum examine, ad confitendum accedant, ne expectent de suis peccatis a sacerdote interrogari.

proprio, fidē suæ ꝓbitatis, uitæ morūq; in scriptis afferāt.

Si quis maiores ordines suscipere uoluerit, ad Prælatum se se mense ante ordinationis diem conferat, ut commode posſit Parocho, uel alteri committi, quatenus publice in Ecclesia eorum, qui ordinandi sunt propositis nominibus ad Prælatum referat quæ a uiris, ætate, & probitate in eò oppido, seu loco grauioribus sub Christiana contestatione intellexerit de præfatorū ordinandorum natalibus, ætate, uita, & moribus, Parochi uero ea quæ sic didicerint, obsignatis literis Prælato opportune transmittant, ac insuper addant, qualem se quisque exhibuerit in ea antea suscepti ordinis functione.

Ac nequis fraudulenter sub patrimonii titulo ordinari uelit, præcipimus Vicariis Foraneis, & animarum Rectoribus, ut diligentem adhibeant curam circa donationes quæ huius rei causa illis qui ordinandi ueniunt fiunt à parentibus, uel consanguineis. Et primo quidem ne quid deceptionis in ea donatione lateat: deinde uero, ut sufficiens sit ad cōmodam eorundē substentationē: tum demū ne postquā ordinati fuerint, retrocesſionem, donationē, uenditionemue quouis quæsito colore huiusmodi patrimonii alicui faciāt, nisi prius de cōpetenti beneficio fuerint prouisi, uel aliūde habuerint unde Prelati iudicio honeste uiuant. Quod si aliquod horū nouerint, rē ad Reuerendisſ. Archiepiscopū Rossanen. pro tēpore existentem statim deferāt, ut opportune huic malo posſit prouideri.

Prima dignitas in ecclesia nostra cathedrali librū aliū præter eū, quē Cācellarius nostræ Curiæ habet, intra tres mēses cōficiat, ac in eo subnotet nomina, cognomina, locū, diē, & annū, nō solū eorū, quoad fieri potest, ꝗ hacte-

nus ordinati ſunt, ſed illorũ etiã qui deinceps ordines ſuſcipiẽt,& quo quis ordine inſignitus fuerit ſimul indicet.

Curent Parochi omnes ut Dominica die, quæ, quatuor anni ſtata Ieiunii tempora, quãdo de more ordines conferendi ſunt,proxima antecedit, populum admoneãt eius nimirũ rei cauſa à Spiritu ſancto ieiunia hæc in Eccleſia eſſe inſtituta, quo tanto maiori affectu deuotionis precibus ſuis, & Prælatum ordines conferentem, & eos qui ſuſcipiunt,adiuuent: ac ſimul eo tempore ſupplicationes, & litanias decantent, quibus ut populus interſit, ac pie Dominũ exoret, Sanctorũq; opẽ imploret, cohortamur.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

Seſſ. 24. c. 1. de refor matrim. uſque ad c. 10 inſuper.

IN adminiſtratione huius Sacramenti ante omnia curent Parochi, ut ſanctiones ſacroſanctæ ſynodi Tridentinæ inuiolate retineãtur,ac per omnia mandẽtur executioni.

Moneant, ac doceant populum de dignitate, & uſu huius Sacramẽti, ne more gentium putent ad qualemcũque propagationem filiorum, matrimonio ſeſe a Deo fuiſſe copulatos,ſed ut ſancte uiuant, filios in religione, & pietate erudiant, ſeſe mutuis officiis iuuent, atq; ſacrum per omnia immaculato ſuo thoro referant Chriſti,& Eccleſię coniugium.

Denunciationes in Eccleſia priuſquã aliquos in matrimonio coniungant,rite fieri curent,tribus nimirum continuis diebus feſtis inter miſſarum ſollemnia.

Diligens inſuper cura habeatur,ut omnes,antequã matrimo-

trimonium contrahant, de ſuis peccatis confeſsionem faciant, & ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum religioſe ſumant. Vt autem ea quæ ad hoc inſtitutum pertinent, plenius ab omnibus obſeruentur, prçcipimus, ut in cathedrali Eccleſia, & aliis Parochialibus totius Diœceſis, ſacrum Tridentini Concilii de matrimonio decretum, uulgari ſermone, ac frequenti populo in Eccleſia perlegatur, ſponſi benedicantur miſſa celebrata, cui illi interſint deuote: idque abſq; ulla ſçculari pompa, quæ uanitatem redoleat, perficiatur: tollatur abuſus, & grauis ſuperſtitio eorum, qui certis quibuſdam menſibus anni (quando etiã id per Eccleſiam licet) inire matrimonia, neſcio quid mali augurii ſuſpicantes, nolunt. *Seſſ. 24. c. 1. de refor. matrim.*

Inſcribantur libro ad hoc diſpoſito coniugum nomina, atque cognomina parentum, ſacerdotis quoque qui eos coniunxerit, ac teſtium, dies menſis, & annus ſubnotentur: & iuxta præſcriptam formam addant præterea denunciationes propriis diebus rite fuiſſe factas.

Quod ſi quiſpiã alius ſacerdos de Prælati ſeu Parochi conſenſu Sacramẽtum hoc miniſtrauerit, in præfato libro annotetur, quem diligenter parochus aſſeruet.

Vagabundos in matrimonio nullus coniungat, niſi prius certò conſtet eos aliàs liberos eſſe, & ad contrahendum aptos. *23. ſeſſ. c. 13 Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 7.*

Si alter coniugum diu abfuerit, niſi de morte fides certa habeatur, neuter alteri coniungatur.

Ceterum ſi quos nouerint Parochi in gradibus prohibitis ſine diſpenſatione legitima contraxiſſe, eos moneãt in primis ſui erroris, deinde ad Prælatum etiam deferant, ut tempeſtiue prouideri eorum ſaluti poſsit.

DE RESIDENTIA.

24.c.12.de ref.r.

QVoniam pernecessaria est ad animarum curã, & diuinum cultum digne celebrandum, tam Rectorum, quam aliorum residentia, qui ad eam de iure, uel consuetudine tenentur, præcipimus ut sacri Concilii Tridentini decretũ de residentia omnes tam Parochi, quam dignitates, & canonici, cęterique omnes ad id obligati penitus obseruent aliàs fructus non faciant suos, sed in reparationem, & ornatum Ecclesiæ, aut si aliter Prælato uisum fuerit in beneficium, & auxilium piorum locorũ, seu indigentium personarum prorsus conuertantur.

Vicarii autem Foranei eorum qui in Ecclesiis suis non resident, nomina ad Archiepiscopum, quamprimũ transmittant, ne eorum neglectu Christi oues detrimẽtum patiantur, eiusque cultus despiciatur. Quod si Vicarii grauiter contrà hoc decretum deliquerint, pœnam non residentium incurrant.

Si quem dispensatione habita ratione studiorum abesse contigerit, absens reputetur, nisi is in studio generali, celebrique studeat, ac singulis sex mensibus scriptum sui doctoris exhibeat, quo fidem faciat suæ in studiis sedulitatis, & in literis progressus.

Si quis beneficiũ habuerit, quod alicuius sacri ordinis susceptionẽ requirat, is intra spatium a iure requisitũ, nisi ea de re expressam a Sede Apostolica dispensationẽ obtinuerit, ordinetur, alias fructus suos se nõ facere intelligat.

Et quia illi qui plura beneficia obligatione residentię affecta obtinent sine dispensatione Apostolica, non solũ

contra

cõtra ſacros canones peccãt,ſed Conciliũ etiã Tridẽtinũ uiolãt,decernimus huiuſmodi beneficia ipſo iure uacare.

DE VITA ET HONESTATE Clericorum.

INdignũ ualde eſt, ut uel rebus ſæcularibus, & uanis uacent,uel in his, quæ ad diuinum cultũ attinent, negligẽtes, tardiq; ſint illi, qui ſe Deo conſecrauerũt, quoſque Deus Paſtores dedit, ac doctores eſſe ad conſummationem ſanctorũ in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, ut ait Apoſtolus. Ob eam igitur rem, ſacras ſanctiones de uita,& honeſtate clericorum omnes in primis ſtudioſe ſeruent: illi uero maxime qui aliorum duces ex officio eſſe tenentur iuxta Apoſtoli mandatũ irreprehenſibiles, ſobrios,prudẽtes,ornatos,hoſpitales, doctores,nõ uinolẽtos, nõ percuſſores,nõ litigioſos, nõ cupidos, ſed modeſtos,ac ut ipſe Dominus pręcipit,ſãctos tũ domi, tũ foris, tũ maxime in Eccleſiis ſe ſe cõtinẽter omnibus exhibeãt: ut ſęculares homines,atq; prophani inculpata,ſanctaq; eccleſiaſticorũ opera,ac uiua uitæ exẽpla intuentes,uniuerſorum dominum, & patrem glorificent, qui in cælis eſt.

Hortamur inſuper, ut Dominicis ſaltẽ diebus, ac reliquis feſtis ſacerdotes omnes,frequentius uero pro ratione ſui muneris Parochi miſſam celebrent: meminerint autẽ ſe non facile excuſationẽ habituros apud ſummũ ſacerdotẽ Chriſtum, niſi quotidie, legitima cauſa ceſſante, uiuificum hoc ſacrificium pro uiuis, ac mortuis offerant, quo ſupremum Deo cultum reddimus, Eccleſiam militantem iuuamus, ac ipſi etiam triumphanti cauſam eximiæ

lætitiæ

lætitiæ exhibemus. Ceterum curent omnes, si quam obligationẽ missarum susceperint, toto conatu ei satisfacere.

Diaconi, & Subdiaconi bis saltem, qui uero in minoribus ordinibus, aut Clerici tantum sunt, semel singulis mensibus sacram Eucharistiam sumant, necnon in festis solemnibus Domini, & Beatissimæ Virginis eius matris, & in festo omnium Sanctorum hoc ipsum faciant: quos si negligentes ea in re inuenerint Parochi, sui officii in primis moneant, ac nisi paruerint, ad prælatum deferant: idem uero Vicariis quoque curæ sit.

Monemus præterea, ut pariter illi communicent festis diebus qui altari ministrant, quò sacri Concilii decretum fideliter seruetur.

Omnes autem qui sacerdotes non sunt, de suis peccatis prius confessi communicent, quotiescũque Prælatus sollemniter celebrauerit.

Mandamus, ut quicunque clericorum ecclesiasticum quoduis beneficium obtinet, canonicas horas persoluat: quod si id non præstiterit, graue se commisisse peccatum intelligat, nisi legitimo impedimento excusetur: si uero post sex menses ab eo die quo illud est consecutus, diuinũ officium non recitauerit, beneficiorum suorum fructus non faciat suos, sed Ecclesiæ fabricæ, aut pauperum elargitionibus cedere debere decernimus, iuxta declarationem sanctissimi Pij Quinti sanctæ mem., quam ad constitutionem Leonis Decimi adiecit: quod si quisquam sui officii canonice admonitus non obedierit, prout iuris fuerit, puniatur.

Qui autem sacris initiati sunt, nec beneficium habent, si hanc legem uiolauerint, præter graue quod incurrunt

peccatum, pœnis ſubiiciantur arbitrio Prælati.

Hortamur, ut qui ſunt minoribus initiati ordinibus, ſingulis diebus Beatiſsimæ virginis Matris horarias preces deuote dicant. Et diebus ueneris ſeptem pſalmos adiiciant, ſcituri ſe gratũ Deo obſequium præſtaturos. Præcipimus uero eiſdem, ut feſtis diebus in Eccleſia miniſtrent.

Cum autem uis orationis ea ſit, ut Deo, quem ſacris precibus colimus, nos coniungat, & ab eo impetret gratiam ſimul, atque cæleſtia alia beneficia; caueãt quammaxime omnes, ne aliud agentes, ſed mentem ad Deum erigentes, & quo maiori poterunt pietatis ſtudio accenſi, ſacrum hoc debitum perſoluant.

Quia uero ſacrorum librorum lectio orationis fomentum eſt, utantur frequenter ſacris Bibliis, quæ uetus, ac nouum teſtamentum continent, catechiſmo Romano, ſacro Tridentino concilio, conſtitutionibus his noſtris, ac piis aliquibus libellis ex approbatis illis, qui ad eruditionem, excitationemque mentis conducunt: his Parochi maxime addant homilias ſanctorum patrum, quibus Euangelia, & Epiſtolæ explicantur: conciones quoque ſancti Vincentii, ac de caſibus conſcientiæ ſummam Nauarri, ſeu aliam.

Clerici omnes cuiuſcunque ſint conditionis, & dignitatis, etiam illi qui quacunque ex cauſa extra diœceſim ſunt, & qui priuilegio clericali gaudere uolunt, quamuis primam tonſuram tantummodo habeant, gerant ordini ſuo, ac dignitati congruentem habitũ, cum perſpicua tonſura, eccleſiæque, uel loco ſacro alicui ſibi aſsignato ſeruiãt: alioquin ſi in ſacris ordinibus ſunt, & beneficia ob-

tinent, pœnis Concilii Tridentini ſubiiciantur. Sin autẽ beneficium non obtinent, iuxta perſonę conditionem, & culpæ rationem arbitrio Prælati puniantur. At uero poſtquam ſemel correcti fuerint, ſi in delicto perſtiterint, iure Concilii eiuſdem aduerſus huiuſmodi procedatur.

Barba honeſtè recidatur, nec ſæcularium more geſtetur, & ſuperioris labri pili decurtentur, tum religionis, tum celebrationis cauſa.

Habitus nec ſordidus ſit, neque exquiſitus: nouitates uero quaſcunque ueſtimentorum fugiant: ſericis nec domi, nec foris utantur, nec inflatis quidem, aut diſſectis caligis, crepidisue, aut calceis inciſis: criſpatas autem, aut laboratas camiſias eiiciant: digitos anulis non ornent: neque chirotecis inciſis manus. Is uero cui conceſſum eſt honoris gradus, ſeu officii cauſa anulum geſtare, unico tantum ſit contentus.

Dum menſæ accumbunt, ſacram benedictionem præmittant, & ſurgentes gratias Deo reddant.

Nullum armorum genus ferant, niſi forte iter per loca non tuta faciant, ac tum quidem de ſui Prælati licentia.

Laruas prorſus reiiciant: choreas nec priuatim, nec publice ducant: nec earum, aut quorumcunque ludorum, ſeu ludicrarum actionum ſpectatores ſe exhibeant.

Saltationes præſertim cum fœminis, & omne genus ludi, maxime uero aleæ, & chartarum pictarum fugiant, nec ludentibus quidem aſsiſtant.

Quod ſi parua pila, aut alio non indecenti exercitationis genere cauſa ualetudinis interdum uti eis licuerit, id ne publice faciant, neque pecuniam, aut aliquid quod pretio extimari poſsit, interponant: comeſſationibus, ſeu

conuiuiis

conuiuijs minus honestis iuxta Apostoli præscriptum ne uacent,& inter prandendum nulli præbibant.

Venationes illas,quæ alienæ sunt à statu Clericorum,iure sibi interdictas intelligant: canes, accipitres, aut uenaticum quoduis animal ne alant.

Habitatio uero omnium, & domestica etiam conuersatio ecclesiasticam honestatem, & disciplinam redoleant, picturis prophanis,& cultu longe à suis ædibus remotis.So Matth. 5 brie igitur,ac pie omnes ubiq; uiuant suæ memores dignitatis,de qua Dominus ait Vos estis lux mundi, Vos estis sal terræ, Vos supra mõtem ciuitas posita,& lucerna estis, quæ omnibus lumen faciat.

Cæterum,quoniam Apostoli est sentẽtia, eum qui Deo 2. ad Tit. 2 militat,se negotijs implicare sęcularibus minime debere:

Nullus clericorum,qui uel sacris initiatus, uel de Ecclesiastico prouisus est beneficio, in sęculari curia aduocati, uel procuratoris personam gerat, nisi forte quis uocatus fuerit in iudicio, aut hoc ipsum ecclesiæ, propinquorũ, seu etiam miserabilium personarum necessitas exigat, facultate prius à Prælato accepta: tabellionatus officium in rebus prophanis ne exerceat, nec medicam quidẽ facultatẽ.

In matrimonijs autem,aut huiusmodi negotiationibus, nullus se interpretem, aut mediatorem interponat: & ab omni mercatoria contractione, quæ lucrum illegitimum, & clericis prohibitum sectatur, omnes sese prorsus abstineant. Aliena prædia, lucri causa, ne conducant:tutelarem curam ne suscipiant,præterquam consanguineorum,& cum licentia Prælati. Pro alijs citra Prælati licentiam, nullus fideiubeat.

DE CONCVBINARIIS.

VT grauiſſimum cõcubinatus crimen è medio tollatur, ſancimus ne quiſquam clericorum concubinas, ſeù alias fœminas, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, domi, uel extra tenere, ne uè cum huiuſmodi ullam inire familiaritatem, aut conſuetudinem habere audeat, alioqnin pœnis à ſacris canonibus impoſitis puniatur. Quod ſi moniti non reſipuerint; grauioribus etiam pœnis ſubijciantur iuxta decretum ſacri Concilij Tridentini.

Seſſ.xxv.c 14

Concil Tri. Seß.24 c.8. Layci uerò tum viri, tum fœminæ ſi concubinatus crimine, uel adulterij ſe polluerint, excõmunicentur, ac alijs eiuſdem concilij pænis multentur.

DE DIVINIS OFFICIIS & Eccleſiæ Miniſtris.

ARchidiaconus, & alij quauis dignitate in Eccleſia noſtra fulgentes, tum etiam Canonici, cũ reliquis Eccleſiæ Miniſtris per ſemet diuina officia, ac alia ſibi impoſita munia obeãt.

Miſſas uero maiores, & Veſperas, omnes, ac ſoli perſonatus, & Canonici ſuis hebdomadibus, diebus omnibus feſtiuis per turnum, ac per ſe ipſos iuxta Concilii Tridentini decretum celebrent: & in choro ad diuinas laudes pſallendum, Deiquè nomen, Hymnis, & Canticis reuerenter extollendum inſtituto, diſtinctè, deuotè, & uoce intelligibili, quæ Canonicam religioſitatem præſeferat, canant.

Seſſ xxiii c.4 de refor.

Talari

Talari ueste, & superpellicio induti, Almutias uerò etiam illi qui in dignitate sunt, & Canonici pro decoro seruando, ferant.

Quamprimum ordine simul, procedentes ad chorum conuenerint, coram uenerabili Sacramento orationem, ante horarum initium de more præmittant, quibus etiam finitis gratias Deo referant.

In sessionibus quoq;, cæremonijs, ac horis statutis temporibus, & interuallis dicendis, lectionibus perlegendis, ea omnia seruēt, quæ Romanus ritus obseruāda decernit.

Eo tempore, quo horæ dicuntur, nullus priuatim officium dicat, nec aliud quicquam legat, seu ex choro exeat, nisi persolutis iam horis, aut causa urgente.

Quamuis rationi sit cōsentanenm, ac Deo debitum, ut diuinū his obsequijs officium quotidie à singulis persoluatur in Ecclesia, tamē infirmitati humanæ consulentes, hūc ordinem iuxta sacros canones in seruitijs Cathedralis Ecclesiæ (quam uelut matrem cæteræ omnes totius diœcēsis pro modulo suo imitari teneantur) instituēdum duximus.

In primis alternis hebdomadibus æquam uicissitudinem seruando dimidia pars, tam dignitatum, quam canonicorum, ac aliorum, qui adesse tenentur, horis sacris, ac alijs diuinis officijs peragendis, quotidie intersit: & ad matutinum quidem, circa noctem mediam, aut post ita tempestiuè, ut ante ortum solis absolutum sit: alijs uerò horis canonica seruentur interualla.

Quod si quis ad matutinum quidem Psalmo Venite exultemus nondum finito, aut certe paulo post eius finem: in alijs horis primo Psalmo statim absoluto, in missa uerò circa ultimū Chirieeleison nō uenerit, pro absente pūctetur.

Diebus autem ferialibus Aduẽtus Domini duæ partes, Dominicis uerò, ac reliquis infraſcriptis feſtiuitatibus totus ſimul clerus conueniat, videlicet.

Ianuarius.

Circuncifio Domini.
Vigilia Epiph. ad Veſperas.
Epiphania.
Cathedra s. Petri Romæ.
sanctus Antonius.
Conuerſio sancti Pauli.

Februarius.

Vigilia Purificat. veſperæ.
Purificatio.
Cathedra s.Petri Antiochiæ
Vigilia s.Matthiæ. veſperæ
sanctus Matthias.

Martius: Aprilis.

Quadrageſima, cum tribus diebus Paſchatis.
Annunciatio Beatæ Mariæ quando extra Paſcha venit.
Sanctus Marcus ſimiliter.

Maius.

Philippus, & Iacobus.
Inuentio sanctæ Crucis.
S. Ioannes ante portã latinã.

Iunius.

Sanctus Barnabas.
sanctus Ioannes Baptiſta.
Vigilia ſanctorum Petri, & Pauli veſperæ.
sancti Petrus, & Paulus.
Cõmemoratio ſancti Pauli.

Iulius.

Viſitatio B. Marię virginis.
sancta Maria Magdalena.
sanctus Iacobus.

Auguſtus.

sancti Petri ad vincula.
Vigilia beatę Mariæ ad Niues. veſperæ.
Feſtum eiuſdem.
sanctus Laurentius.
Vigilia aſſumptionis. veſperę
Aſſumptio cũ tota octaua.
sanctus Bartholomæus.
Decollatio s. Io. Baptiſtæ.

September.

Vigilia Natiuitatis uirginis. ueſperæ.
Natiuitas eiuſdem.
sanctus Matthæus.
Vigilia sancti Michaelis. ueſperæ.
sanctus Michael.
sanctus Hieronymus.

October.

sanctus

sanctus Franciſcus.
sanctus Lucas.
sancti simon,& Iudas.
Vigilia oĩum ſanct.ueſperę.

Nouember.

Feſtum omnium sanctorũ.
Dies mortuorum.
sanctus Martinus.
sanctus Andreas.

December

Aduentus Domini.
Natiuitas Domini cũ octa.

Præterea

Domincæ totius anni.
Vigilia Corporis Domini.
ueſperæ.
Corpus Domini cũ octaua.
Vigilia aſcẽſionis ueſperæ.
Aſcenſio Domini.
Vigilia Pẽtecoſtes ueſperę.
Pentecoſtes cũ duobus diebus ſequentibus.
Vigilia sanctiſſimæ Trinitatis ueſperæ.
Triduarum dies ſiue rogationum.
sabbata quatuor temporũ.
Quatuor Eccleſiæ Doctores unà cum sancto Thoma de Aquino.

Decernimus,cõſtitutionibus ſacri Cõcilij Tridentini, ses. 24. c. 12 & authoritate moniti,ut nulla canonicorũ,aut aliorũ pactio,nulla remiſſio,uel colluſio ĩ diſtributionibus fiat:etſi qua hactenus fuit facta uim nõ habeat,nec ullũ ſtatutum, aut cõſuetudo quæcunq; ſit,illis faueat qui abſentes,quauis de cauſa eius diei, uel ſacræ horæ, in qua ſuo muneri defuerint,aut omnino cuiquam ſuffragetur, ut contra id quod iure cõmuni,& eiuſdem Cõcilij Tridentini conſtitutionibus diffinitũ ſit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint:etſi datæ fuerint,reſtituantur,& Seminario cedãt.

Archidiaconus, cui prima in Eccleſia noſtra dignitas obtigit, intelligat ſe oculum eſſe dici Prælati, quo tanto ſtudioſius, ac religione abundantiori inſpiciat,ut præterea quæ in his noſtris conſtitutionibus ipſi incumbũt munia,in choro etiam,proceſſionibus,ſeſſionibus,Eccleſiæ indu

indumentis,tonſuris,& ſimilibus, circa quæ à clericis non nunquam erratur,omnia ſe recte habeant,ac ne quicquam irreuerenter,inconcinne, ſeu præpoſtere agatur,quin potius cuncta decenter, ut ſanctum Dei cultum decet, perficiantur. Errata honeſte corrigat: & ut quiſq; ſuo fungatur officio efficaciter curet:Canonicos,alioſq; in ſtallo recipiat: Miſſarum debitum ut quotidie perſoluatur, & ordine ſuo, ſacra in Eccleſia fiant, diſponat: Punctatorem iubeat eos in libro ſuo notare,& ad Prælatum deferre,qui ſuo muneri non ſatisfecerint: Reliqua uerò omnia, quæ ſibi de iure competunt, pro ratione ſuæ dignitatis promptе exequatur.

Decanus ea omnia diligenter præſtet officia, quæ in hac noſtra Eccleſia hactenus exercuit, uel de iure exercere tenetur.

Archipræsbyter Eccleſiæ cuſtodiam habeat,& ſacramẽtorum adminiſtrationi,quæ per Parochos fit præſit, ut ſuis officijs illi maxima cum diligentia hac in parte fungantur: reliqua uerò quæ ipſi de iure competunt,ea qua decet pietate exequatur.

Cantor ſuis officijs ſatisfacere ſtudeat,is choro interſit, ibique per ſe clerum,in his quæ ad Antiphonas,Reſponſoria, Tractus,Lectiones, & alia quæ ibi canuntur, ſpectant, dirigat, corrigatque:& quæcunque alia ſibi ex approbata conſuetudine, ſeu antiquo iure conueniunt, digne exhibeat: abſens uerò à choro Subcentorẽ iubeat partes ſuas diligenter exequi.

Theſaurarius, qui ſacrorum uaſorum, ueſtimentorum Eccleſiæ,ornamentorum, quæ ad altarium cultum attinẽt, cuſtos eſt, ſolerter non ſolum cuſtodiæ, ſed etiam mundi-

tiæ

tiæ, nitoriq́ue eccleſiaſtico ſtudeat. aſſiduē ueſtiarium uiſitet, omnia oculate perluſtret, quæ reparatione indigent, reparentur: lauentur immunda: purgētur argentea: demum in hac re ita ſeſe ſollicitum præſtet, ut deſiderari nil poſsit: Laycos in ſacrario uerſari ne patiatur, ac ne ibidem ſermones de inanibus, profanisq; rebus, multo uero magis ne iurgia, rixę, turbæq́ue excitentur, curet, atque prohibeat.

Laudabilem in Eccleſia noſtra conſuetudinem approbātes, in qua omnes tum dignitates, ſeu perſonatus, tum etiam Canonici ſacerdotes eſſe debent: præcipimus ut quo plenius ea illibata ſeruetur, omnes qui nondum ſacerdotes ſunt, primis à iure ſtatutis temporibus gradatim ordinentur, ſub ea pœna, quam ſacri canones, tempeſtiue non ordinatis iniungunt. *Concil. Trident. Seſſ. 14 c. 1*

Capitula, oratione ſemper de more præmiſſa, ſemel, atq; iterum singulis menſibus fiant, in quibus pacificè, ac religiosè, tum de Ecclesiæ neceſsitatibus prouidendis, negotijsq; eius expediendis, tum de diuini cultus obſeruatione, ac promotione, tum etiam de alijs, quæ ad ſpiritualem cleri fructum pertinent, tractetur: in his uocem nullus habeat niſi, qui ſubdiaconatus ordinem ſaltem ſuſceperit etiam si hoc sibi ab alijs libere fuerit conceſſum. Capitula uerò ne fiant diebus feſtis, uel eo tempore quo officia celebrantur, nisi neceſsitas urgeat, idq́ue poſt veſperas, & vocato ſaltem Prælato, ſeu eius Vicario generali: Si qui vocati ex capitulo non interfuerint, careant diſtributionibus illius diei, niſi de iuſto impedimento rationem reddant. *Concil Trident. Seſſ. 14 c. 4. de refor.*

Si contigerit de aliqua capitulari perſona negotium,

ſeu

ſeu diſcrimen agitari ea primum è capitulo diſcedat, neque redeat niſi re peracta: uota uero per ſecreta ſuffragia dentur,& maior pars obtineat: & quicquid actum in capitulo fuerit: ſecretarius fideliter notet.

Magiſtri cæremoniarum ſint ſemper duo in Cathedrali Eccleſia,quibus omnes in his,quæ ad officium ipſorum pertinent, promptè pareant. Horum uerò præcipua cura erit,ut in miſſis celebrandis ſacerdotes omnes, ac miniſtri in ſeruitio maioris altaris ſecundum Romanæ Eccleſiæ ritum exactè ſeruent: doceant præterea quando ſtandum ſit,ſedendum, caput ſubmittendum,aut flectenda genua fuerint.

Sacriſtani uulgo nuncupati in Ecclesia noſtra curam gerant lucernarum,cæræ, & olei: altaria præparent: uinum, hoſtia, cæreos, cæteraq; huius generis è sacriſtia neceſſaria ad diuina officia opportunè diſponāt. Aquam benedictam octauo quoque die, uel si ſæpius id neceſsitas ferat, renouari curent: mundam Ecclesiam teneant: ſummum altare præſertim, ac reliqua omnia diebus feſtis decentius ſolito ornent:congruis horis ad miſſam, & canonicas horas, campanę signum dabunt.

DE OFFICIO PVNCTATORIS.

PVnctatorum unus, & alter eligatur à Prælato, totidem uerò à capitulo, qui hebdomadatim ſeruiant: in manibus prælati,& capituli iurati nimirum ſe in officio ſuo obeundo debitam pręſtituros diligentiam. Eos igitur qui tempeſtiuè non adfuerint siue ad horas canonicas, siue ad miſſam, fideliter

liter punctabunt: quod si quem prætermiserint, de suo soluant: horis omnibus intersint, nisi cogat necessitas, ac tum quidem alium suo loco substituant: libros punctationum diligenter asseruent, ac singulis mensibus uel Prælato, uel Capitulo exhibeant.

Quatuor minoribus ordinibus insigniti, hoc est ostiarij, lectoris, exorcistæ, & acolythi suis singulis fungantur officijs, ut sacri Concilij Tridentini decreto hac etiam sess. 23. c. 17.
in re, quoad fieri queat, satisfiat.

DE SEMINARIO CLERICORVM.

QVAM sit Seminarium clericorum necessarium, & nos experimur, & abunde idem sacrum Concilium Tridentinum declarauit: quamobrem erectum iam dum in hac nostra cathedrali ecclesia promoueri cupientes, mandamus inprimis, ut taxa hactenus facta ad eius sustentationem, tandiu stet, & persoluatur integre, donec iuxta eiusdem Concilij decretum aliter sit sufficienter eidem prouisum, pro numero duodecim saltem scholarium, magistrorum, & aliarum personarum, quæ necessariæ sunt atq; opportunę ad eius gubernationem.

Deinde ut Vicarij nostri foranei ex beneficijs ac pensionibus sui districtus præfatam taxæ summam statis temporibus colligant, ac deputatis secure transmittant: & tam his qui soluerint quietantes dent litteras, quam ab eisdem deputatis recipiant eius pecuniæ, quam exhibuerint, ut ratio dati, & accepti constet.

Constitutiones uerò, & formulā uiuendi diligēter ob-

ſeruent omnes, ac ſimul in litteris, & moribus religioſa ſedulitate proficere contendant.

DE VICARIIS FORANEIS.

PRæter illa quæ in hac synodo eis committũtur, illa quoq; quę ſequuntur Vicarijs noſtris Foraneis curæ ſint.

Semel ſingulis menſibus presbyteros curám animarum habentes in unum cõgregent, & de his quæ ad boni paſtoris officium attinent, deq; Parochiarum commodis & difficultatibus inter ſeſe conferant, & de opportúnis remedijs quærant.

Solliciti etiam ſint, ut clericorum uitam perſpectam habeant, & num unuſquiſque ſuo fungatur officio: ac ſimul ea obſeruent, quæ in hac Synodo, & in uiſitatione pręſcripta ſunt, diſquirant.

Præcipuè uerò curent ut animarum ſalus, & diuini cultus celebratio perfecte peragatur: frequenter cõfeſſiones fiãt, & exhortatio ad populum: ac doctrinæ inſtitutio diebus dominicis, ac feſtis, ut minimum, habeatur.

Certiorem autem Prælatum frequenter faciant, tam de his omnibus quam de alijs etiam, quæ ad animarum utilitatem expedire cognouerint.

DE RECOGNITIONE, ET CONſeruatione bonorum Eccleſiaſticorum.

QVoniam ut mortales ſumus, non poteſt abſq; externis ſumptibus diuinus cultus conuenienter celebrari

brari,ac ne bona illa quæ ſemel Deo dicata ſunt,per reprehenſibilem iniuriam pereant,iubemus ut beneficiati omnes,tam cathedralis Eccleſię,quam totius diœceſis,ſuorum beneficiorum, ſiue curata illa ſint, ſiue ſimplicia, aut quocunque alio nomine nuncupentur,tum eorum quę modo obtinent, tum quoruncunque aliorum quæ quomodolibet in futurum obtinuerint, intra ſex menſium ſpatium à die poſſeſſionis adeptæ,omnium & ſingulorũ mobilium, immobilium, iurium, actionum, annuorum cenſuum, ſeu redditu um, nominum quoq; debitorum, & aliorum quorumcunque ad eorum eccleſias, ſeu beneficia, quocunque iure pertinentium rationem diligentiſſimè conquirant: ac eorum omnium inuentarium,in quo locorum etiam fines, conditionesque omnes ſigillatim deſcribantur,per publicum Notarium fideliter conficiant, & ad Prælatum deferant. Duo autem exemplaria horum authentica fiant, quorum unum apud ſe quiſque,ſeu in ſua Eccleſia retineat,alterum in Archiuio Archiepiſcopali cõſeruandũ reponatur.

Archiuium uerò conficiatur,in quo ſcripturæ omnes,inſtrumẽta,& quæcũq; huiuſmodi fuerint, tam ad prælatum, quam ad iura, & rationes eccleſiarum attinentia, tutò ſeruentur, inuentario alicuius publici Notarij manu ſcripto in eodem Archiuio repoſito. inde nulla originalis ſcriptura extrahatur, niſi grauis intercedat cauſa, ac tunc quidem ſub Notarij & teſtium fide:ab eodem autem Notario ſubſcribatur in inuẽtario,quo die,menſe,& anno, à quo,& cuius rei gratia, ſcriptura huiuſmodi ex Archiuio fuerit amota,cuiq; data: Retineatur nihilominus in eodem Archiuio eius exemplar authenticum.

Archiuium ipſum una atque altera claue obſeretur, cla-

ues uerò penes Archiepiscopum, aut eius Vicariũ sint, quarum tamen vnam sede uacãte Vicarius, alteram capitulum habeat futuro Archiepiscopo tradendas.

Cathedralis Ecclesiæ nostræ Capitulum, quam diu proprium archiuiũ non habet, arcam suarum scripturarũ occlusam, cuius clauem apud se habeat, in præfato Archiepiscopali reponãt archiuio cõseruandã: & in consignãdis, tradẽdisq; scripturis præfati capituli, idẽ quod supra obseruet.

Bona quæ male alienata sunt, uel contra sacros etiam
S. ses. 25. c. 11 canones locata, iuxta modum à sacro Concilio Tridentino traditum, debita religiosaq; solertia recuperentur: deinceps uerò nullæ locationes, permutationes, seu alienationes fiãt, nisi iuxta sacros Canones in casibus à iure permissis, & cum Apostolicę sedis de euidenti utilitate rescripto.

Ecclesiasticorum beneficiorum nulla bona propinquis infra tertiũ gradũ in emphyteosim, aut cuiusuis temporis spatiũ, etiã per suppositas personas locare quisquã præsumat, aut ualeat, nisi magna ecclesię utilitas Prælati iudicio, pręter alia iuris requisita, dignoscatur: quod si aliter fuerit factũ, nulla sit locatio: & qui locauerit, ab ordinario puniat.

Ne autem Decimæ, quæ etiam de iure diuino debẽtur, non soluantur ecclesiis, uel quoquo modo defraudentur: mãdamus Parochis, ut inter missarum solemnia decretum de solutione decimarum ex concilio Tridentino uulgariter recitent: & prædicatoribus, ut in concione populum
S. ses. 25. c. 12 de solutione earum iuxta eiusdem concilij mandatum, prima quaq; Dominica die Aduentus, & Quadragesimæ, studiose instituant, ne hac in re peccantes propositas ab eadem sacra synodo excõmunicationis pœnas subeãt. Iisdẽ
ses. 22. c. 11. quoq; diebus decretũ ab eodem concilio cõtra occupantes

tes

tes quouis quæsito colore fructus, seu iura ecclesiarũ, aut quorumuis piorũ locorũ sancitũ, uulgari sermone recitet.

DE SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS.

IN ferendis excõmunicationis sentẽtijs obseruetur in primis sacri concilij Tridentini mandatum. Sess. 25. c. 3. Quo verò serio magis studeant qui excommunicationis sententia affecti fuerint, in sanctæ matris Ecclesiæ gratiam, & cõmunicationem redire, ac ne alij christiani cum suarum detrimento animarum huiusmodi hominibus commisceantur: hic modus in excommunicatione proferenda, prosequendaq; seruetur, ut iuxta antiquam canonum formam candelæ prius accendantur, deinde tertio etiam extinguãtur, campanis de more pulsatis, ac demum extinctæ candelę proijciantur, quemadmodum antiquo etiam ecclesiæ nostræ synodali decreto præcipitur.

Excõmunicati illius, qui palã denunciatus fuerit, nomẽ simul, & cognomen ad cathedralis, seu parochialis ecclesiæ ualuas ĩ primis affigatur: tũ deinde per alias parochias tam urbis, quã diœcesis mittatur, ac primo saltem cuiusq; mẽsis dominico die per parochiã, qui ita excõmunicatus fuerit, populo denuncietur: idq; cõtinenter tandiu fiat, donec aliud Pręlatus significauerit, & reconciliatũ sanctæ matri Ecclesiæ huiusmodi hominẽ esse perspectum fuerit.

Quod si quis per annum obdurato, atque insordescente animo in censuris huiusmodi, quibus fuerit illigatus, perstiterit, is ad Pręlatum ab eius Parocho deferatur: ut cõtra eũ tanquã de hæresi suspectum possit canonicè procedi.

DE

DE MONIALIBVS.

SAnctimoniales ita diligenter Beatæ Claræ regulam iuxta reformationẽ Vrbani Quarti quam ſuſceperunt, obſeruent, ut Chriſti ſponſas decet, ac ne quidquam ſit, quod ab eis in ſtudio perfectionis deſiderari poſſit. Quo uerò id facilius præſtent, eam regulam præ manibus habeant frequenter, legant attente, meditentur, & iuxta eã ſuos ubiq; mores, uitamq; inſtituere, reformare, ac promouere ſtudeant: interim autem curet Abbatiſſa ut ſingulis menſibus in prandio, & cæna perlegatur.

Cõſtitutiones de clauſura à ſanctiſſimo Domino noſtro Pio Quinto fe. re. editas non modo inuiolatè ac religioſè cuſtodiendas, ſed publicè etiam ſæpius coram Monialibus perlegendas præcipimus, nequid unquam contra ſacram clauſuram committatur, ſine qua ſpiritus uirginum, quæ ſe Deo conſecrauerunt, facili negotio euaneſcit.

Seſ.25.c.18. Decretum ſacri concilij Tridentini, nequis inuitas ſacrum monialium habitũ ſuſcipere cogat uirgines, ſeu Monaſterium ingredi, aliquoties quotannis frequenti populo in Eccleſia noſtra cathedrali recitetur, ne quiſquàm per ignorantiam excommunicationem, qua præuaricatores feriuntur, incurrat.

Nihil accipiatur à parentibus, conſanguineis, aut quibuſuis alijs in Monaſterio, quouis quęſito colore de patrimonio, ſeu dote, pręter ſubſtentationem uirginis, donec illa ſollemnem poſt anni curriculum profeſſionẽ emiſerit, ne decretum ſacri concilij Tridentini, quod hac de re ſancitum eſt, uiolari uſquam contingat. Interim tamen, ne monaſte-

monasterium fraudetur, antequam puella recipiatur, assecuratio legitima fiat de dote integra, quamprimum post professionem tradenda.

Sub excommunicationis pœna si sæcularis fuerit, ac sub alijs etiam arbitrio nostro imponendis, si Clericus, interdicimus tum Laycis, tum Ecclesiasticis hominibus, tum etiã fęminis quibusuis, ne cum Monialibus sine nostra, aut Vicarij nostri generalis habita in scriptis licentia colloquantur: excipimus tamen consanguineos primi gradus, ea tamen lege, ne cum alijs Virginibus sermonem habeant, seu colloquantur, præterquam cum proprijs filiabus, sororibusq;, & proximioribus.

Prohibemusq; etiam ne quisquàm cuiusuis ordinis sacerdos in Monialium ecclesia missam absq; nostra, seu eiusdem Vicarij licentia in scriptis habita, celebret.

Cæterũ tam Prælata, quã Abbatissam uocãt, quã moniales reliquæ sciant se ad obseruationem teneri non solum præfatæ Regulæ, sed nostrarum etiam constitutionum, sub pœnis ipsis arbitrio nostro, ubi defecerint, imponendis.

DE OFFICIO PAROCHORVM.

CVm reddituri sint arduam Deo de animabus sibi commissis rationem Parochi, summopere studere debent, ut quoad poterint, Christi summi pastoris uestigia in animarum cura sequantur. Quia uerò per se omnia quæ ad cõmodum, & cognitionem suarum ouium spectant, non possunt satis habere perspecta, à probis uiris suæ Parochiæ exquirant, si quæ nouerint ad eam rem opportuna, si quam

sciunt

ſcunt ouem curatione indigere, ut tempeſtiuè prouideatur: quod ſi quicquam horum per ſe, ſeu auxilio Archipreſbyteri, uel Vicarij noſtri foranei perficere commodè non poterunt, re adhuc integra, id ad Prælatum deferant.

Librum unuſquiſq; Parochorum habeat, in quo nomina, & cognomina omnium, qui in ſua parochia ſunt, deſcribat: ſingulorum quoq; ſexum, ætatem, & ſtatum, eos prætera annotet, qui naſcuntur, qui etiam aliunde commigrauerint, quiue morientur, aut aliò ſe contulerint ad habitandum, ut tanto facilius ſui pecoris uultum cognoſcat.

Pauperes Parochiæ ſuæ, prẹſertim puellas, nubiles, viduas, o rphanas, pupillas, ægrotos, ſenio etiam cōfectos, & quoſuis alios temporali ſeu ſpirituali miſericordia indigẽtes, notos, & ſcriptos habeat, quibus pro uiribus opituletur: & ut id alij faciant, qui modum erogandi in pauperes eleemoſynas habent, conſtanter curet.

Inter alia uero illud ſibi curæ eſſe ſtudeat, ut ſacramenta pie, ac frequenter populus ſibi commendatus ſuſcipiat.

Et num matrimonia aliqua illegitimè cōtracta ſint, intelligat, & utrum impudicæ, aut eo nomine ſuſpectę fœminæ circumferantur: ac de omnibus Prælatum opportunè faciat certiorem.

Præterea tam ipſi Parochi, quam alij ſacerdotes omnes, menſibus ſaltem ſingulis ſemel defunctorum Miſſam pro fundatoribus, & benefactoribus, qui iam obierunt, celebrẽt: niſi forte ſæpius id facere ex inſtituto, aut quauis alia obligatione, ſeu cōſuetudine teneãtur, quos inſuper quotidie commendatos in orationibus habeant.

Singulis diebus Parochi in ſuis eccleſijs ſignum campanæ circa horam nonam dabunt: ut Chriſtifideles ſic moniti

niti, Domini noſtri paſſionem omni pietate recolant. Diebus uero Veneris ea hora ter Dominicam orationem, ac toties Angelicam ſalutationem pio affectu recitantes, quadraginta dierum indulgentiam conſequantur.

Prima quoq; noctis hora hyeme, media uero ęſtate campanam ſimiliter in aliqua ſaltem totius loci principali Eccleſia pulſari faciant, ut omnes eo ſigno moniti: pro fidelibus defunctis orationem quotidie ad Deum fundant.

Vtrunq; autem obſeruari maxime in Cathedrali Eccleſia noſtra volumus & mandamus.

DE LEGATIS PIIS, ET VIſitatione piorum locorum.

SAcris inhærentes ſanctionibus, authoritate etiam Tridentini concilij præcipimus, ut quicunq; Notariorum teſtamenta, codicillos, tabulas, obligationes, ſeu promiſsiones legales, aut quocunque alio nomine ſcripturæ uocentur, de legatis ad pias cauſas rogati conſcripſerint, aut ab alijs quauis ratione accepta ſcripta huiuſmodi apud ſe, ſeu in ſuis ſcrinijs habuerint, tribus ab huius ſynodi promulgatione menſibus Prælato ſignificent, ac notam eorum in ſcriptis tradant. Poſthac uero, qui eius generis negocia, ſeu pia legata fide publica exceperint, menſe poſt mortem teſtatoris uno ad ſummum elapſo, id pari ratione Pręlato notum faciant, & fidem authoritate publica munitam, eius rei in ſcriptis eidem debita mercede accepta tradant. Quæ omnia, niſi legitimum interceſſerit impedimentum, fideliter præſtent: alioquin pœnam interdicti ingreſſus Eccleſiæ incurrant, à qua non poſſint niſi ab Archiepiſcopo abſolui.

Seſſ. 7. c. 15. Seſſ. 25. c. 8.

Hanc autem constitutionem singulis annis Parochi nostri frequenti populo semel, ac iterum pronuntient, ne pia loca hominum malitia legatis fraudentur piorum.

Concilio Tri. Sess.22.c.11 Occupatores iurium, seu quorumcunque bonorũ, quæ ad pia loca quauis ratione spectant, sciant se excommunicatione ita esse innodatos, ut à nemine nisi à summo Pontifice, absolui possint, facta prius restitutione.

Ne uero huiusmodi aliauè mala in administratione Hospitalium, ac piorum locorum deinceps contingant, & ne bona, quę ad subleuandam pauperum inopiam, pij homines de suis bonis reliquerunt, in alios usus contra eorum mentem deuertantur: sacri cócilij Tridentini sanctionem, qua iubentur horum administratores locorum, rationem Pręlato reddere sui officij, inuiolate sub eisdem pœnis, quibus piorum legatorum non reuelatores tenentur, obseruari mandamus. Caueant autem omnes, ne quicquam præfatorum bonorum alienent, seu quacunque ratione contra sacros canones distrahant.

Sess.7.c.15. & 25.c.8.

DE TAXAE RATIONE IN FORO ARchiepiscopali obseruanda, deq; pœnis Criminalibus, & Quartis ab intestato.

CVm opportune nobis ualde uisum fuerit, taxã aliquam certam constituere, tam in illis quæ ad ciuilia & Criminalia nostri fori pertinent, quã circa ea quæ ad Bullarũ etiam expeditionem attinẽt beneficiorum, ut per omnia ecclesiastica seruetur æquitas, & forũ nostrum ab omni prorsus auaritiæ, uel simoniæ suspicione uindicemus: taxam præfatam ea circumspectione, qua

potuimus maxime conſtituimus,eamq; omnino obſeruari uolumus,& mandamus, quam in harum conſtitutionum calce exhibebimus. Siquis uerò aliquid contra ea commiſerit,grauiter arbitrio noſtro puniatur.

Statuimus præterea eaſdem ob cauſas Cancellariā noſtrę curiæ,ſeu quam uulgariter Maſtridactiam uocāt,nulli in locationem tradere, ſed per miniſtros idoneos iuſto ſalario exerceri;ſaluti etiam,ac ędificationi noſtri gregis cōſulentes, operępręcium nos facturos duximus, ac uiſum fuit, ut pœnæ quoq; criminales: et quarta quæ ab inteſtato uocatur,pauperibus,pijs locis,Eccleſiæ fabricę,& Palatij reparationi applicentur deinceps, ac diſpenſentur.

DE SYNODI CELEBRATIONE.

IVbet ſacro ſanctum Tridentinum cōcilium, ut diœceſana ſynodus quotānis habeatur. Nos ergo hanc ſanctionem piè uenerantes decernimus, ut quam primū literis publicè propoſitis indicta ſynodus fuerit, quæ cōmode ſingulis annis poſt Paſchæ octauam,aut circa feſtum Pentecoſtes, iudicio noſtro celebrari poteſt: Parochi diligenter de ſingulorum uita, & moribus quos nondum ſatis perſpectos habuerint exquirāt, ac præſertim Blaſphemos, Adulteros,Concubinarios,ac his ſimiles ſibi notos eſſe curēt:& ad ſynodum uenientes eorum nomina Prælato exhibeant, ut de eorum ſalute,quantum neceſſitas tulerit:mature in ipſa ſynodo deliberetur. Seſſ.24.c.2. & 25.c.2.

Diſſenſiones maxime inter Clericos,& ſi qua ſint forte tractatione ſynodali digna grauamina,unuſquiſq; propo-

nere poterit, præsertim uero Archipresbyteri, & Vicarij nostri foranei aliorum nomine.

Curent præterea, ut quinta quaque feria, post indictionem synodi, Missa de Spiritu sancto in suis parochijs celebretur, donec synodus fuerit de more dimissa: in Cathedrali autem Ecclesia, præter missam præfatam, processiones quoque instituantur, & tam in ciuitate, quam in diœcesi preces ex animo omnes fundant, ut pro sui nominis gloria, & animarum salute recte omnia quæ ad synodum spectant perficiantur.

Ipsa uero die, qua initium synodus accipiet, omnes qui in ea cõuenerint, post suorum confessionem peccatorum, sacerdotes quidem sacrosanctum Missæ sacrificium Deo offerant, reliqui uero qui sacerdotes non fuerint, sanctissimam Eucharistiam sumant.

DE CASVVM RESERVATIONE.

Sess 14 c.7. Canon 11.

IVris est Prælatorum idq́; pluribus ex causis, casus aliquos conscientiæ reseruare in sua diœcesi, quod sacrum Tridentinum Concilium abunde docet. Nos igitur maiorem Dei gloriam, & animarum salutem intuentes, eos qui sequuntur communiter reseruatos esse uolumus, nequis sacerdotum audeat quempiam sine Prælati scitu, & licentia ab huiusmodi in posterum absoluere.

Casus

CASVS ERGO SVNT ISTI.

1 In primis casum eorum reseruamus, qui ex proposito, seu peruersa consuetudine Deum, Christum, Virginemque matrem, & Sanctos blasphemant.

2 Item qui sacramentis Ecclesiæ, aut sacris etiam rebus ad fascinationes, seu quoduis aliud crimen, quod uulgo fattuchiaria dicitur, sacrilegij abutuntur.

3 Item qui excommunicatus, uel suspensus sacerdos celebrauerit.

4 Item reseruamus omnes casus simoniæ, mentali tantum excepta.

5 Item homicidium uoluntarium, abortum, sterilitatemque procuratam, & infantum in lecto etiam suffocationem.

6 Verberantium patrem, aut matrem impium crimen.

7 Eorum præterea casus, qui crimen testimonij falsi, aut etiam falsarij, uel commiserunt, uel committi fecerunt, nisi parti læsæ prius satisfecerint, aut debitam legitimamq; cautionem de satisfaciendo dederint.

8 Crimen quoque bestialitatis sæpius repetitum.

9 Incestum in primo, & secundo gradu.

10 Qui publici sunt Vsurarij
11 Concubinarij omnes
12 Crimen incendiariorum
} Nisi semel moniti resipuerint & satisfecerint.

13 Ingredientium Monasterium Monialium sine licentia Prælati in scriptis.

14 Sortilegos, diuinatores, incantatores, & alios id genus hominum absolutioni quoque nostræ reseruamus.

5 Sacerdotes, qui a casibus nō cōcessis alios absoluerint

Adhi

Adhibeant præterea omnes Confessarij diligentiam, ut perspectos habeant casus uel in hac synodo aliàs reseruatos, uel quos sanctę sedi Apostolicæ Canones de iure reseruant, & illos quos sanctissimus Dominus quotannis sibi reseruauerit, ne in censuras ipsi incidant, & pœnitentes, quos absol uere non possunt, illaqueatos pariter relinquant.

PRO OBSERVATIONE HARVM constitutionum, & pœnis.

CVm sacræ sanctiones speculum quoddam sint uitæ, ac morum, quibus Christi grex nobis commissus instrui, formariq; merito debet: statuimus in primis, ac mandamus, ut synodales hasce cōstitutiones, omnes ex animo obseruent, non tamen pœnarum timore, sed uirtutis potius amore.

Decernimus præterea cętera omnia, quæ in antiqua synodo nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ statuta sunt, in suo robore, & obseruantia permanere debere, dummodo sacri Cōcilij Tridentini, & huius nostræ synodi decretis, ac statutis contraria non sint.

Violatores autem non solum pœnis, quas his constitutionibus adiecimus, ferientur, sed alijs etiam tum à sacris canonibus, tum quoque à sacrosancto Tridentino concilio definitis iudicandi uenient.

Declaramus insuper omnes qui nostræ iurisdictioni subiacent ad harum constitutionum obseruantiam teneri duobus mensibus elapsis, postquam impressæ fuerint, aut ualuis nostrę Metropolitanæ Ecclesiæ palam expositæ.

TAXA SVPER EXPEDITIONE *literarum, quæ uel ad beneficiorum collationem, uel ad gratioſas alias conceſſiones noſtras pertinent.*

SEcretarius, ſeu quiuis alius, cui hæc cura demandabitur, pro ſumptu, ac labore, quem conficiendis literis, quibus beneficij collatio, prouiſio, inſtitutio, confirmatiouè continetur, impoſuerit, unum ad ſummum aureum accipiet. Quod ſi & beneficia, & ſacerdotes pauperes fuerint, ex diſpoſitione Prælati minus accipiet.

Si quę uerò conceſſiones aliæ ſimiles fient, nō plus uno aureo pro ſingularum literis capiet, niſi paupertatis cauſa ab aliquo minus eſſet accipiendum.

Taxa eorum quæ per Notarium Curiæ, expedienda veniunt.

Pro literis primæ tonſuræ, grana decem dantur.
Pro literis quatuor minorum ordinum totidem.
Pro literis dimiſſorijs grana decem.
Pro literis cuiuſuis ſacri ordinis, grana totidem.
Pro literis commendatitijs grana decem.
Pro literis abſolutionis iuramenti caroleni tres iuxta antiquam conſuetudinem diſtribuendi.
Nihil pro citatione ad litem ſoluitur.
Pro libelli, ſeu cuiuſuis petitionis præſentatione, grana duo.
Pro prima contumacia in lite ciuili, etiam ſi plures fue-

rint

riat, qui in eam inciderint, grana unum.

Pro quolibet actu excepto eo, qui in publicatione, & conclusione fit, grana duo.

Pro citatione ad testes grana quinque pro ipso actu.

Pro examine cuiusuis testis ad instantiã partis, grana duo: si uero articuli fuerint plures nouem, soluitur carolenus unus, tantundem soluitur pro interrogatorio facto à præfato Notario.

De præsentatione articulorum, & interrogatoriorum nihil soluitur.

Pro quolibet decreto interlocutorio, pro Vicario, Magistro actuum, & Balio uulgariter nuncupato, grana decẽ & septem, distribuẽda iuxta consuetudinẽ, uidelicet Vicario decem, quinque ipsi Notario, & duo Balio, relata tamen non soluuntur.

Pro accessu notarij ad instantiam partis ad examinandum testem aliquem, seu alium quemuis actum faciendum extra Curiam, soluitur carolenus unus supra solutionem debitam ratione actus, seu examinis, nisi forte persona ad quam acceditur, fuerit uel honesta matrona, uel infirmitate, seu senio impedita, tunc enim de pedatico, ut uocant, nihil soluitur.

Si contingat ad instantiam partis, Notarium extra ciuitatem aliquò proficisci, ad quempiam examinandum in causa ciuili, soluuntnr caroleni octo pro quolibet die, ex quibus expensas ipse sibi faciat: eo tamen die quo peruenerit, seu discesserit è loco, non obligatur examinare: alijs uero diebus intermedijs quatuor tantum, ubi plures fuerint testes examinare tenetur.

In causa vero criminali ob defensionem soluuntur pro

qualibe

qualibet dieta caroleni quīdecim,cū expēsis,habitatiō ne,& lecto ꝓ Vicario q̄ īteruenire debet examini,& Notario,ex q̄bus decē Vicario,quinq; ueroNotario cedūt.

Pro copia cuiuslibet actus,grana duo.

Pro copia authentica decreti interlocutorij,grana quinq;, non authentica uero grana duo.

Pro copia cuiusuis folij processus in forma copiæ,quæ habeat lineas uigintiquinque, grana quinque: si uero in forma originalis copia datur,pro quolibet folio carolenus unus soluitur.

Pro sentētia, seu decreto diffinitiuo caroleni duo Vicario soluūtur,Notario unus,Balio,& curię seruiētibus unus.

Pro literis executorialibꝰ caroleni quatuor,ex quibꝰ Cōsultori si aderit soluit̄ carolenus unꝰ ,q̄ñ expeditę fuerīt in uirtute sentētiæ, alias uero distribuūtur ut supra. Q̄d si debitū minus carolenis triginta fuerit,duo tm̄ caroleni soluuntur,si uero infra q̄ndecim ,soluit̄ carolenus unus.

Pro mandato decisiuo ex causa cognita, grana duo.

Pro mādato iustificato grana quindecim, quorum decem Vicario,quinque Notario pertinent.

Pro quibusuis literis gratiosis in fauorē partis,grana quindecim,ut supra distribuenda.

Pro literis commissionalibus,caroleni duo Vicario,Notario uero unus soluitur.

Pro expeditione monitionū,grana quinq;Vicario,duo cū medio Notario, si in diœcesi, si uero in ciuitate datur, nihil ratione monitionis soluitur.

Pro expeditione excommunicationis, grana quindecim Sigillo,Vicario, &Notario.

Pro expeditione memorialium grana totidem ut supra.

Pro præsentata cuiuslibet instrumenti, grana duo, quod si originale habere uoluerit præsentans, soluat pro copia carolenum unum magistro Actuum.

Pro quolibet actu causæ à sede Apostolica, uel aliunde cõmissę, grana decem, Vicario, & Notario distribuéda.

Pro quolibet actu ad instantiam cuiusuis personæ alterius diœcesis, carolenus unus.

Pro literis executorialibus ex primo decreto, grana decẽ & septẽ: quorũ sũt decẽ Vicarij, quinq; Notarij, duo Balij.

Pro inuentario rerum eorum qui ab intestato moriuntur, grana quindecim.

Pro perquisitione cuiusuis processus elapso anno, grana decem.

Pro inquirenda quauis scriptura facta ante annum, grana decem.

Pro annullatione obligationis, grana duo.

Pro accessu ad locum differentiæ, quæ est inter Clericos intra Ciuitatem, caroleni quinque: Vicarius grana triginta, Notarius quindecim, Balius quinque ex his accipiet. Quod si extra Ciuitatem differentiæ fuerint inspiciendæ, duplo soluitur.

Pro mandato de parendo, grana quindecim: ex quibus Notarius quinq; habebit, reliquum cedit Vicario.

Pro mandato ad reluendum, grana totidem, ut supra.

Pro quouis alio actu, cuius hic mẽtio facta nõ fuerit, soluatur iuxta antiquã consuetudinẽ, dũmodo laudabilis sit.

Vbi autem contingerit Vicarium consultore indigere in illis actibus qui consultorem requirũt, Vicarius portionem hic sibi assignatam cum eo diuidet, secundum curiæ approbatam consuetudinem.

De-

Decreta Tridẽtini Concilij latino & uulgari sermone explicata, quæ præscriptis supra loco suo certis anni diebus promulganda sunt à Parochis.

DECRETVM DE MATRIMONII Reformatione.

TAmetsi dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata, & uera esse matrimonia quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde iure damnandi sint illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea uera ac rata esse negant: quique falso affirmant matrimonia à filijsfamilias, sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, uel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum cum sancta synodus animaduertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, & grauia peccata perpendat, quę ex eisdem clandestinis coniugijs ortum habent: præsertim uerò eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio uiuunt, cui malo cũ ab Ecclesia, quæ de occultis nón iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: iccirco sacri Lateranensis concilij sub Innocentio Tertio celebrati uestigijs inhęrendo præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia intermis- Concilio Tri. Sess. 24. c. 1.

ſarum ſolemnia publice denuncietur, inter quos matrimo nium ſit contrahe ndum: quibus denunciationibus factis ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur. Vbi Parochus uiro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, uel dicat, Ego uos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: uel alijs utatur uerbis, iuxta receptum uniuſcuiuſque prouinciæ ritum. Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes: tunc uel una tantum denũciatio fiat, uel ſaltem Parocho, & duobus, uel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiãt, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio ſancta synodus relinquit. Qui aliter quam præſente Parocho, uel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licẽtia, & duobus uel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabũt, eos ſancta synodus ad ſic contrahendũ omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi cõtractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto, irritos facit, & annullat. Inſuper Parochum uel alium ſacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes qui ſine Parocho, uel ſacerdote huiuſmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem ſancta synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo nõ cohabitẽt: ſtatuitq; benedictionem à proprio

prio Parocho fieri,neq; à quoquam,nisi ab ipso Parocho, uel ab Ordinario,licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij sacerdoti concedi posse: quacumque consuetudine etiam immemorabili,quæ potius corruptela dicenda est,uel priuilegio non obstante. Quod si quis Parochus,uel alius sacerdos, siue regularis, siue sæcularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, uel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere,aut benedicere ausus fuerit,ipso iure tamdiu suspensus maneat, quã diu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat,seu a quo benedictio suscipienda erat,absoluatur. Habeat Parochus librum in quo coniugum, & testium nomina, diemq; & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, uel saltem triduo ante matrimonij consumationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant. Si quæ prouincię ultra prædictas,laudabilibus consuetudinibus, & cæremonijs hac in re utuntur,eas omnino retineri sancta synodus uehementer optat. Ne uero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant. Ordinarijs omnibus præcipit, ut quamprimum poterint curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diœcesum Parochialibus Ecclesijs, idque in primo anno quam sæpisime fiat:deinde uero quoties expedire uiderint.Decernit insuper ut huiusmodi decretũ in una quaq; Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis,in eadem Parochia factæ,numerandos.

Decreto

DECRETO MEDESIMO fatto volgare.

BEnche non è da dubitare che i matrimonij clandestini fatti cõ il libero consenso de i contrahenti siano fermi,& ueri matrimonij mentre che la Chiesa non gli ha fatti inualidi: & per ciò si debbono dannare,come il santo Cõcilio gli anathematiza,quelli liquali falsamente affermano i matrimonij cõtratti da figliuoli di famiglia senza il consenso delli loro padri esser nulli, & inualidi, & essi padri potergli fare ualidi o inualidi: non dimeno la santa Chiesa di Dio per giustissime cause sempre ha tali matrimonij biasmati & prohibiti. Ma hora il santo Concilio uedendo che quelle prohibitioni per l'inobedienza de gli huomini gia non giouano, & considerando i graui peccati, che da gli medesimi matrimonij clandestini nascono,massime di coloro i quali perseuerano in stato di dannatione,mentre abbandonata la prima moglie, con laquale di nascosto, & clandestinamente haueano contratto il matrimonio, publicamente contraheno con un'altra, & con quella uiuono in perpetuo adulterio,al quale male non si puo soccorrere dalla Chiesa,che non giudica delle cose occulte se nõ ui si pone alcuno remedio piu efficace: per questo seguendo i uestigij del sacro Concilio Lateranense celebrato sotto Papa Innocentio Terzo, commanda che per l'auuenire auanti ch'alcuno matrimonio si contraha, dal proprio sacerdote Parochiale di essi contrahenti tre uolte in tre giorni di festa continui,nella Chiesa, tra la solennita delle messe si debba publicamente denunciare, tra quali perso-

ne si ha da contrahere il matrimonio.

Quali denunciationi fatte, se non ui si oppone alcuno legitimo impedimento, si proceda alla celebratione del matrimonio in faccia della Chiesa: doue il Sacerdote parochiale hauendo dimandati, & interrogati l'huomo, & la donna, & inteso il loro mutuo, & libero consenso, ouero dica: Ego uos in matrimonium coniungo In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: ouero usi altre parole secondo l'approbato costume & rito di ciascuna prouincia.

Ma s'alcuna uolta sara probabile suspitione, che'l matrimonio possa essere malitiosamente impedito, se inanzi fussero fatte tante denunciationi, allhora ouero si facci una denũciatione, ouero almeno in presenza del sacerdote Parochiale & di doi o tre testimonij, si celebri il matrimonio, & dopo inanzi la cõsumatione di esso matrimonio se faccino le predette denunciationi nella Chiesa, accioche se ui sono alcuni impedimenti, piu facilmente siano scoperti: eccetto se il Prælato Ordinario giudichera essere espediente, che le dette denunciationi si pretermettano, ilche il santo Concilio lassa alla prudenza & giuditio di esso Ordinario.

Quelli i quali attentaranno di contrahere matrimonio altrimente che in presenza del prete Parochiale o di altro sacerdote, con licentia però di esso Parochiale o del Prelato ordinario, & presenti doi o tre testimonij, il santo Concilio li fa totalmente inhabili à contrahere il matrimonio in tal modo, & decreta li contratti essere irriti, & nulli, come per il presente decreto li fa irriti, & gli annulla.

Dipoi commanda il santo Concilio, che quel Prete parochiale o altro sacerdote, che interuerra à tal contratto di

matri

matrimonio, con minor numero de teſtimonij: & ſimilmente, quelli teſtimonij, che interuerranno ſenza il Prete Parochiale o ſacerdote come è detto di ſopra, & coſi anche eſsi contrahenti medeſimi siano grauemente puniti ad arbitrio di eſſo Ordinario.

Oltra di queſto il medesimo ſanto Concilio eſſorta & ammoniſce, che i ſposi auanti la benedittione ſacerdotale, quale s'habbia à riceuere nella Chieſa, non habitino nella medesima caſa.

Et ordina, che la detta benedittione si debbia fare dal proprio sacerdote parochiale, & che da niſſun'altro eccetto, che da eſſo prete parochiale, ouero dal Prelato ordinario si poſſa concedere licentia di far detta benedittione, non oſtante qual si uoglia conſuetudine ancora immemorabile, qual è piu toſto da chiamarsi corruttela, o altro priuilegio, che ui fuſſe.

Et s'alcun parochiale o altro Prete o sia ſeculare, o regulare, ancorche pretenda queſto eſſergli lecito, per alcuno priuilegio o conſuetudine immemorabile, preſumera di cōgiungere in matrimonio, o benedire li ſposi di altra Parochia ſenza licenza del proprio sacerdote parochiale di eſsi ſposi, ipſo iure sia ſuſpeſo ſenz'altro dall'offitio ſuo, insin'a tanto che sia abſoluto dall'Ordinario di quel prete parochiale, quale douea interuenire à detto matrimonio, ouero dal quale era da riceuersi la benedittione.

Commanda anche il Concilio, che il Prete Parochiale debbia hauere un libro, nel quale habbia à ſcriuere 'li nomi de i ſposi, & de teſtimonij che ſono interuenuti al contratto del matrimonio, & il giorno, & il luogo del detto matrimonio contratto, qual libro debbia diligentemente

cuſto-

custodire,& guardare appresso di se.

Vltimamente il santo Concilio essorta li sposi che innanzi che contrahano, o almeno tre giorni auanti la consummatione del matrimonio confessino diligentemente li loro peccati, & deuotamente uadino à riceuere il santissimo sacramento dell'Eucharistia:& s'alcune prouincie in questo haueranno oltra le predette,altre laudabili usanze, & ceremonie,esso santo Concilio grandemente desidera, che quelle in ogni modo si tenghino, & si osseruino. Et accioche questi precetti tanto salutari siano manifesti à ciascuno, commanda à tutti gli Ordinarij,che quanto prima potranno,habbino cura di far publicare questo decreto al populo,& che sia spiegato, & dechiarato in tutte le Chiese parochiali della loro diocesi. Et questo si facci spessissime uolte nel primo anno, & dopo quante uolte conosceranno essere espediente. Di piu uuole che il presente decreto,cominci ad hauere il suo effetto in ciascuna parochia dopo trenta giorni,da contarsi dal giorno della prima publicatione fatta nella medesima parochia.

CONTRA EOS QVI IVNGI matrimonio cogunt.

ITa plerunque temporalium dominorum, ac magistratuum mentis oculos terreni affectus,atque cupiditas excæcant, ut uiros & mulieres sub eorum iurisdictione degentes maxime diuites,uel spem magnæ hereditatis habentes minis, & pœnis adigant cum his matrimonium inuitos contrahere, quos ipsi domini uel magistra- Concili Tr. Sess.24. c.9.

tus illis præscripserint. Quare cum maxime nefarium sit matrimonij libertatem uiolare, & ab eis iniurias nasci à quibus iura expectantur, præcipit sancta synodus omnibus cuiuscunque gradus, dignitatis, & conditionis, existant, sub anathematis pœna quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directe, uel indirecte subditos suos uel quoscunque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant;

IL MEDESIMO FATTO VOLGARE.

LE passioni, & le cupidita terrene in tal maniera spesse uolte accecano gli occhi della mente delli Signori, & Magistrati temporali, che con minacce, & pene constringono homini, & donne, che uiuono sotto la loro giurisdittione, masimamente i ricchi, o che hanno speranza di grand'heredita, à contrahere matrimonio contra lor uoglia, con chi piu pare ad essi signori, o Magistrati. Onde essendo cosa molto impia il uiolare la liberta de matrimonij, & da coloro riceuere ingiuria, da quali douerebbe uenire giustitia. Il sacro Concilio commanda à tutti di qualunche grado, dignita, & conditione siano, sotto pena di maledittione, & escommunicatione maggiore da incorrere ipso facto, che in modo nissuno, ne diretta, ne indirettamente sforzino i sudditi loro, o chi altri si sia à contrahere matrimonii senon di libera uolunta delli contrahenti.

CONTRA OCCVPANTES bona Ecclesiarum.

SI quem Clericorum, aut Laycorum, quacunq; is dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeat, in tãtum malorum omniũ radix cupiditas occupauerit, ut alicuius ecclesiæ, seu cuiusuis secularis, uel regularis beneficij, montium pietatis, aliorumq; piorum locorũ iurisdictiones, bona, cẽsus ac iura, etiam feudalia, & emphi theotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, quę in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent, per se uel per alios, ui uel timore incusso, seu etiã per suppositas personas clericorum, aut laycorum, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore in proprios usus conuertere, illosq; usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab ijs ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tam diu subiaceat, quandiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, uel qui ad eum quomodocunq; etiã ex donatione suppositę personæ peruenerint, Ecclesiæ, eiusq; administratori, siue beneficiato integre restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionẽ obtinuerit: quod si eiusdem Ecclesiæ patronus fuerit, etiã iure patronatus, ultra prędictas pœnas eo ipso priuatus existat. Clericus uero qui nefandæ fraudis, & usurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit eisdem pęnis subiaceat necnõ quibuscunq; beneficijs priuatus sit, & ad quęcũq; alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem sui Ordinarij arbitrio suspendatur.

Concilii Tr. c. 11. Sess. 22 de refor.

IL MEDESIMO FATTO VOLGARE.

SE l'Auaritia radice de tutti i mali, in tanto occupara l'animo d'alcuno Chierico, o Laico di qualunche dignita risplenda, anco Imperiale, o Regale, che presuma per se, o per altri, con forza, o con timore, ouero ancora per supposite persone di Chierici, o Laici, ouero con qual si uoglia arte, o procurato colore, cõuertire in proprii usi, & occupare, o impedire che nõ si riceuano da coloro, à chi le ragioni toccano, le giurisdittioni, beni, censi & ragioni anco Feudatali & Emphiteotiche, frutti, emolumenti, ouero qual si uogli souentione, che si debbano conuertire in necessita de Ministri, & poueri di alcuna Chiesa, ouero di qualunque beneficio secolare, o regolare di Mõti de pieta, & de altri luoghi pij, questo tale sottogiaccia all'anathema, cioè alla maleditione, & scommunicatione maggiore, sin tanto c'hauera intieramente restituiti alla Chiesa, & suo administratore, o beneficiato le giurisdittioni, beni, ragioni, robbe, frutti, & rendite, lequali hauera occupato, ouero in qual si uoglia modo anco per donatione di supposita persona gli saranno peruenuti nelle mani, & di poi hauera ottenuto l'assolutione dal Santissimo Signor nostro Pontefice Romano, & se sara padrone della medesima Chiesa sia subito, oltra l'altre pene, priuo anche del iuspatronato. Et il Chierico che sara stato fabricatore di questo scelerato inganno, & di tal usurpatione, o ne sara stato consentiente, sottogiaccia alle medesime pene, & di piu resti priuo

di

di ogni sorte de Beneficio, & sia fatto inhabile à qualunche altro beneficio, & anco doppo l'intiera sodisfattione, & assolutione, si sospenda dall'essecutione de suoi ordini ad arbitrio del suo Ordinario.

DE DECIMIS SOLVENDIS.

Non sunt ferendi, qui uarijs artibus, decimas ecclesijs obuenientes subtrahere moliuntur: aut qui ab alijs soluendis temere occupant, & in rem suam uertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt res alienas inuadunt, Præcipit igitur sancta synodus omnibus cuiuscunque gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali, aut quibuscunque alijs Ecclesijs, uel personis, quibus legitime debentur, integre persoluant. Qui uero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absoluantur. Hortatur dehinc omnes & singulos pro Christiana charitate debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis Episcopo, & Parochis, qui tenuuioribus præsunt ecclesijs, large subuenire, ad Dei laudem, atque ad pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur. Concili. Tr. Sess. 25. c. 12.

CONTRA ILLOS QVI COGVNT, AVT impediunt puellas monaſterium ingredi.

ANathemati ſancta synodus ſubijcit omnes, & ſingulas perſonas cuiuſcunque qualitatis, uel conditionis fuerint, tam Clericos quam Laicos ſæculares, uel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocunque coegerint aliquam virginem, uel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in caſibus in iure expreſſis, ad ingrediendum monaſterium, uel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcunque religionis, uel ad emittendam profeſſionem, quiq; conſilium, auxilium, uel fauorem dederint: quiq; ſcientes eam non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquomodo eidem actui, uel præſentiam, uel conſenſum, uel auctoritatem interpoſuerint: ſimili quoque anathemati ſubijcit eos qui ſanctam virginum, uel aliarum mulierum uoluntatem ueli accipiendi, uel uoti emittendi, quoquo modo ſine iuſta cauſa impedierint. Eaq; omnia, & ſingula quæ ante profeſſionem, uel in ipſa profeſſione fieri oportet, ſeruentur nō ſolum in monaſterijs ſubiectis epiſcopo, ſed & in alijs quibuſcunque: ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ pœnitentes, aut conuertitæ appellantur, in quibus conſtitutiones earum ſeruentur.

Concilii Tr. Seſſ. 25 c. 18 de regu.

IL MEDESIMO FATTO VOLGARE.

MAledette e ſcommunicate ſono dal ſacro Concilio tutte & ſingole perſone di qual ſi uoglia qualita, o conditione, ſiano tanto Chierici, quanto Laici ſecolari,& regolari, & anchora in qual ſi uoglia dignita, che ſiano, ſe in qualunche modo conſtringeranno alcuna vergine, o vedoua, o altra donna contra ſua uoglia, eccetto nelli caſi eſpreſſi nella ragione, ad entrare nel monaſterio, o a pigliare l'habito di qual ſi uoglia Religione, ouero à fare la profeſsione: & quelli che a cio darāno conſiglio, aiuto, & fauore, & chi ſapra che quella tale nō entri ſpontaneamēte nel Monaſterio, o pigli l'habito, o facci la profeſsione in qualūche modo interporra in tal'atto la preſenza, o il conſenſo, o l'authorita ſua: ſimilmente maledice, e ſcommunica quelli che in qual ſi uoglia modo, ſenza giuſta cauſa, impediranno la ſanta uolunta delle uergini, o d'altre donne di pigliare il uelo, o di fare il uoto. Tutte & ſingole predette coſe, che auanti la profeſsione biſogna fare, ſi oſſeruino non ſolo nelli monaſterij ſottopoſti al Veſcouo, ma in tutti gli altri ancora. Da queſte pero ſi eccettuano le donne chiamate penitenti, o conuertite, nelle quali ſi oſſeruino le loro conſtitutioni.

Sanctiſ

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE QVINTI

Super clauſura & reformatione quarumcunque Monialium, Conſtitutio prima.

PIVS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

CIRCA Paſtoralis officij nobis, meritis licet imparibus, deſuper commiſſi curam, quantum nobis ex alto permittitur inuigilantes, aſsiduè ad ea per quæ ſingulis erroribus, & exceſſibus obuiatur, ac perſonis quibuslibet præſertim fæminei ſexus, virginitatem ſuam altiſſimo vouentibus, ſub religionis iugo Chriſto Saluatori in caſtitatis holocauſto famulari affectātibus, ſemita iuſtitiæ, & honeſtatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incōgruum, quod in regularis ponat honeſtatis gloria maculam, & diuinam merito poſſit offendere maieſtatem, opportune ſuccurritur, libenter intendimus, ac in his noſtræ vigilantiæ partes propenſius impartimur, prout id in domino ſalubriter expedire conſpicimus. Hac igitur perpetuo valitura Conſtitutione, inhærentes etiam Conſtitutioni ſel. rec. Bonifacij Papę viij. prædeceſſoris noſtri quæ incipit Periculoſo, & decretis Concilij Tridentini ſuper clauſura Monialium æditis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus atque perpetuo decernimus vniuerſas, & ſingulas Moniales præſentes atque futuras cuiuſcunque religionis, ordinis, vel militiarum etiam Hieroſolymitañ. ſint, quę vel iam receptæ ſint, vel in poſterum in quibuſuis monaſteriis ſiue domibus recipientur, & tacite, vel expreſſe religionem profeſſæ, etiam ſi conuerſę, aut quocunq; alio nomine appellentur, etiam ſi ex inſtitutis, vel fundationibus earum Regulæ ad clauſuram non teneantur, nec vnquam in earum monaſterijs, ſeu domibus etiam, ab immemorabili tempore, ea ſeruata non fuerit, ſub perpetua in ſuis monaſterijs, ſeu domibus debere de cætero permanere clauſura, iuxta formam dictæ Conſtitutionis ſel. rec. Bonifacij Papæ viii. prædeceſſoris noſtri quæ incipit Periculoſo, in ſacro Concilio Tridentino approbatam, & innouatam quam nos au

ctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districte obseruari mandamus. Quod si aliquæ Moniales forsan reperiantur quæ cõsuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulæ suæ fretæ animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquomodo reluctentur, Ordinarij vna cum Superioribus earum, omnibus iuris, & facti remediis compellant easdem tanquã rebelles, & incorrigibiles ad præcise subeundum dictam clausuram, & perpetuo obseruandũ. Mulieres quoq; quæ Tertiariæ, seu de Pænitentia dicuntur, cuiuscunque fuerint ordinis in Congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne uotũ emiserint, ad clausurã præcise, ut præmittitur, & ipsę teneãtur. Quod si votũ solẽne nõ emiserint, Ordinarii vna cũ Superioribus earũ hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionẽ, & professionẽ eidem clausuræ se subiiciant: quod si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalose viuere, sæuerissime puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus, interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationẽue recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus & annullamus. Porro ne Moniales, vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus maxime in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed vt eis opportune consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus atq; mandamus Ordinariis, & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per Conuersas quæ nõ sint professæ, uel si professæ fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium, degant, & non ingrediantur clausuram aliarum monialium nisi in casibus ex earum Constitutionibus permissis: & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licẽtia Ordinarii, vel earũ Superiorum. Et de cætero nullæ aliæ Conuersæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorũ possint. Quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarũ receptio nulla irrita & inanis sit, prout

ex

ex nunc nullam, irritam facimus, & annullamus. Quod si prædicto modo necessitatibus Monialium, & mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter nõ poterit, mandamus ipsis Ordinariis, & Superioribus earũ, vt ipsi prouideant de aliis personis piis, & Deo deuotis quæ fidelium eleemosynas colligãt, uel alias eo meliori, & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuũ ipsarum Monialium, & mulierum prædictarum, arbitrio ordinariorum, & superiorum earundem, & pro vt eis congruentius expedire videbitur, prouideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictę Constitutionis Bonifacii, & Concilii Tridentini decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districte inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipiant, & admittant, siue recipi, & admitti permittant, quam ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ vniuersis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in ciuitatibus, & diœc. propriis præsentes nostras litteras publicari faciant, ac in Monasteriis Monialium sibi ordinario iure subiectis, in iis vero quæ ad Romanã mediate vel immediate spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate vna cum superioribus eorũdem Monasteriorum clausuram, vt præmittitur, quamprimum poterint seruari procurent. Contradictores atque rebelles per censurã ecclesiasticam appellatiõe postposita compescẽdo, inuocato adhoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Ac vt hoc tam salutare decretum facilius obseruetur, omnes Principes sæculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per uiscera misericordiæ domini nostri Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdẽ Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Monialium superioribus assistant, ac suum fauorem, & auxilium præstent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Præmissis, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam per sedem Apostolicã approbatis, & cõfirmatis, priuilegiis quoq;, indultis, & literis Apostolicis etiam in fundatione, & institutione eisdem monasteriis, uel

domibus, & Monialibus sub quibuscunque verborum formis, & clausulis, irritantibus, & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruãda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quo ad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, uel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, aut suspendi non possint per literas Apostolicas nõ facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Per hoc autem in monasteriis exemptis ordinarii locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem, vel potestatem aliquatenus eis attributam. Volumus autem quod præsentes literæ ad valuas Basilicæ beati Petri Apostolorum principis, & in Cancellaria nostra, ac acie Campi Floræ publicentur, & inter Constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæcunque loca deferri, uolumus, & etiam declaramus, quod earum Transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam nostræ approbationis, innouationis, statuti, decreti, mandati, interdicti, prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requisitionis, obsecrationis, iniũctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto kl. Iunii. Pontificatus nostri anno primo.

Visa de Curia Io. Riuerius ss.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

EIVSDEM PII QVINTI

Quod Moniales non exeant a clausura, sub pœna excommunicationis, & priuationis, quæ etiam extenditur ad dantes licentiam, comitantes, & receptantes, Constitutio secunda.

PIVS EPISCOPVS Seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

DECORI & honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus dominus noster sponsus est, ut in puritate, & castitate super ædificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulẽtes ea quæ illarum existimationi detrahere possent, decet nos consulto summouere. Sane periculo, & scandalo plena res est, ac regulari obseruantię uehementer aduersatur, sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, uel cognatos, nec non monasteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta uisitandi, aut infirmitatis causa, alioue prætextu à monasteriis exire, & per secularium personarum domus discurrere, & vagari, quo velu ti colore eximium quoque honestatis, & pudicitiæ decus ac discrimen committunt. Vnde nos malo huic pro nostro pastoralis officii debito salubriter occurrere volentes, inhærentes etiam decreto sacri Concilii Tridentini de clausura monialiũ disponenti, ac aliis nostris literis super huiusmodi clausura editis adiicientes, uolumus, sancimus, & ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum', aliarumue monialium etiam Cartusieñ. Cistercieñ. sancti Benedicti, & Mendicantium', & quorumcunque aliorum ordinum etiam militiarum, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum existentium, etiam a Regia, vel Illustri prosapia ortarum de cætero etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum parentum, aliorumue consanguineorum uisitandorum, aliaue occasione, & prętextu, nisi ex causa magni incendii, uel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ, quæ tamen infirmitas

præter

pręter alios ordinum ſuperiores, quibus cura monaſteriorum incum beret, etiam per Epiſcopum, ſeu alium loci ordinarium, etiam ſi prædicta monaſteria ab Epiſcoporum, & ordinariorum iuriſdictione exempta eſſe reperiantur cognita, & expreſſe in ſcriptis approbata ſit, à monaſteriis præfatis exire: ſed nec in prædictis caſibus extra illa niſi ad neceſſarium tempus ſtare licere. Aliter autem, quam vt præfertur egredientes, ſeu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptrices perſonas, ſiue laicas, aut ſeculares, vel eccleſiaſticas, conſanguineas, uel non, excommunicationis maioris latæ ſententiæ uinculo ſtatim eo ipſo abſque aliquá declaratione ſubiacere, à quo, præterquam à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo abſolui nequeant. Et inſuper tam egreſſas, quam Pręſidentes, & alios ſuperiores prędictos eis licentiam huiuſmodi concedentes, dignitatibus, officiis, & adminiſtrationibus per eas & eos tunc obtentis priuamus, & illas, & illos ad obtenta, & alia in poſterum obtinenda inhabiles, nec non licentias, & facultates, ſeu indulta, & priuilegia exeundi a monaſteriis, & extra illa ſtandi, a nobis, ſeu alio Romano Pōtifice prędeceſſore noſtro, ac ſedis Apoſtolicæ Nuntijs, & Legatis etiam de latere, ac maiore Pœnitentiario, aut ordinum prędictorum ſuperioribus, aliisue perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cū quibuſuis reſtitutiuis, pręſeruatiuis, mentis atteſtatiuis, etiam nouam gratiam & datā concedentibus, aliiſque efficacioribus, & efficaciſſimis ac inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie etiam Motu proprio, & ex certa ſciētia, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum; nec non ſanctę Romanæ Eccleſię Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac inſtantia, vel alias quomodolibet conceſſa, quę prorſus abolemus, ac litteras deſuper confectas, & in poſterum concedendas, & conficiendas nullas & inualidas, nulliuſque roboris & momenti fore, nec illas habentibus, & habituris ſuffragari poſſe: & ita per quoſcunque iudices, & commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate ſcienter uel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Mandantes vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum

Ordinariis in virtute ſanctę obediētiæ, & ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus per ſe vel alium ſeu alios pręſentes litteras in ciuitatibus, & diœceſibus propriis, quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon pręfatum decretum ipſius Concilij quod incipit, Bonifacii viij. diligenter, & inuiolabiliter ſub cenſuris eccleſiaſticis, aliiſque præfatis pœnis, & in eodem decreto contentis obſeruent, & obſeruari faciant, & procurent, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſsis nō parentes, etiam aliis pœnis auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus, pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauādo, interdictum eccleſiaſticū apponendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis cōtrariis quibuſcūque, aut ſi aliquibus cōmuniter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſsint per litteras Apoſtolicas nō facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbū de huiuſmodi indulto mentionem, aliisq; Apoſtolicis conſtitutionibus, & iuribus de huiuſmodi clauſura diſponentibus, nihilominus in ſuo robore duraturis. Cæterum volumus quod præſentium tranſumptis etiam impreſsis, manu alicuius notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides, vbique terrarum, tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, ordinationis, priuationis, abolitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, Kalend. Februarij, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

S. D. N.

S. D. N. D. GREGORII PAPAE XIII. De Clausura Monialium, ac Eleemosynis eis præstandis, Constitutio tertia.

DEO sacris virginibus, quæ contemptis illecebris seculi diuinis se obsequiis manciparunt, æquissimum est præcipua quadam a nobis ac singulari sollicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia quæ sanctum ipsarum propositum impedire possent, remoueantur, tum etiam, vt eis in cultu Dei caste ac religiose permanentibus, quæ ad victum necessaria sunt, subministrentur. Et quidem post sacri Concilii Tridentini decretum quo constitutio fe. re. Bonifacij Papę viij. prædecessoris nostri, quæ incipit Periculoso, renouatur, prohibens ne aut ipsis Monialibus ex Monasteriis suis egredi, aut vlli cuiuscunque sexus, aut ordinis personæ ad eas ingredi liceat: & præterea vniuersis Episcopis pręcipitur vt in omnibus monasteriis sibi subiectis, in aliis vero sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium vbi violata diligenter restitui, vbi vero inuiolata conseruari maxime procurent: piæ memoriæ Pius Papa Quintus etiam prædecessor noster victui quoque, & necessitatibus ipsarum prospicerę cupiens, cum superiora illa approbasset, atque innouasset, eademque omnia etiam in Monialibus quarumcunque militiarum, etiam Hierosolymitanæ, omnibusque aliis tacite, vel expresse religionem professis, quocunque nomine censerentur, locum habere decreuisset, ne illæ quicquam detrimenti in necessitatibus suis hac occasione paterentur, etiam præcepit locorũ Ordinariis & superioribus earum, vt fideliũ eleemosynas per Cõuersas non professas uel professas quidem, sed ætatis saltem quadraginta annorũ, & iampridem cõuersas, quæ in domibus contiguis, extra tamẽ monasterium, degerent, colligendas curarent, ita tamen vt prædictæ Conuersæ neque clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus permissis ingrederentur, nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemosynas colligendas, sine permissu ordinariorum, aut superiorum suorum exire possent. Quod si ne hoc quidem sufficere videretur, idem Pius prædecessor mandauit ipsis ordinariis, & superioribus, vt negotium darent aliquibus personis piis tales eleemosynas colligendas, aliaque arbitratu suo prospicerent, quæ ad subleuandam Monialium

nialium inopia expedire iudicarent. Cum autem, ſicut accepimus, multæ Moniales, etiam quæ Tertiariæ vocantur ſub ſolemni religionis voto perpetuaque clauſura degentes, aliæque talibus literis comprehenſæ, & in ipſa clauſura permanentes, multis præterea ad ſe ſuſtentandas neceſſariis egeant, neque vſque ad hoc tempus vllo ſufficienti remedio earum neceſſitatibus ſubuentum ſit: Quin etiam aliæ tertiariæ, citra ullum ſolemne hucuſque votum viuant, quę ad ſuas, ſuorumue domos neutiquam redituræ eſſent, ſed ſub ſolemni religionis voto, & clauſura prædictis permanerent, ſi earum congrue ſuſtentationi prouideretur. Nos qui illas neceſſariis rebus deſtitui nolumus, certioreſque facti ſumus in multis ciuitatibus, oppidis, villis, aut aliis locis tam in Eccleſijs, & Monaſteriis, quam hoſpitalibus, collegiis, confraternitatibus, & aliis locis piis, etiam quæ a priuatis hominibus tum Eccleſiaſticis tum laicis multas, ac diuerſas eleemoſynas Chriſti pauperibus erogari; Conſiderantes in eiuſmodi perſonas, vel in primis exercendam eſſe charitatem, quæ voluntaria paupertate ſuſcepta, ab omni hominum commercio ſegregatæ Deo ſeruiũt, & aſſiduis precibus iram ipſius, ob peccata conceptam, à Chriſtiano populo deprecantur. Illud quoque cogitantes ſi eis ad tales eleemoſynas petendas ad loca prædicta conferre ſe liceret, vix fore vt prædicta Monaſteria, Eccleſiæ, loca, ac perſonæ, eis ſingulis non tantum ſaltem tribuerent quãtum ſingulis aliis pauperibus eodem concurrentibus ſolent; vniuerſo illi Deo deuotarum mulierum generi de opportunæ, ac ſufficientis ſubuentionis auxilio prouidere cupientes, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, ut omnes, & quicunque, Primates, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati, necnõ Abbates, Priores, Præpoſiti, & alij Eccleſias parochiales, Primitiales, Metropolitanas, Cathedrales, & alias Eccleſias, necnõ Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, Canonicatus, præbendas, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, cæteraq; beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura ſecularia, & ſancti Benedicti, ſancti Auguſtini, Ciſtercien. Cluniacen. Præmoſtraten. Cartuſien. Camaldulẽn. ſancti Baſilii, Caſſinen. alias ſanctæ Iuſtinæ, Montis oliueti, ſancti Saluatoris, ac Lateranen. & Cruciferorum ſeu fratrum ſancti Hieronymi, nec non Prædicatorum, Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum eiuſdem ſancti Auguſtini, Seruorum Beatæ Mariæ, ſanctæ Claræ, & quorumcunque aliorum tam uirorum, quam

ſierum,etiam mendicantium ordinum,& congregationum,& militiarum regularia,etiam de iure patronatus laicorum,etiam nobiliũ, Ducum, Regum, & aliorum Principum exiſtentia,in titulum commendam,adminiſtrationem, & alias quomodocunque obtinentes, necnon Rectores,Gubernatores, confratres, adminiſtratores,cæterique omnes qui ratione illorum,necnon capitulorum,conuentuũ, menſarum,hoſpitaliũ,etiam laicorum,& per laicos adminiſtrari ſoli torum,Chriſti fidelium confraternitatum,ſcholarum,collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocunque nomine nuncupatorum,& in quibuſuis mundi partibus conſiſtentium,quæ ſingulis annis,men ſibus,hebdomadis,uel diebus ex eccleſiarum,monaſteriorum, prioratuum, officiorum,dignitatum,& beneficiorum, ac cõgregationũ, hoſpitalium,confraternitatum, ſcholarum, collegiorum,piorum & aliorum locorum prædictorum fructibus,redditibus,& prouẽtibus, pauperibus Chriſti aliquas eleemoſynas in pane,frumento, farina, vino,& eduliis,pecunia,ſeu alijs ad victum uel ueſtitũ pertinẽtibus, etiã ad ſupplicationẽ,& preces, & per cedulas,& bolletina,aut aliàs diſtribuere,& elargiri ab immemorabili tempore conſueuerunt, aut alio quocunq; iure tenentur ex dictis fructibus,redditibus,& prouẽtibus,& quo ad hoſpitalia prædicta ex iis quæ ſeruata in illis actuali hoſpitalitate ſuperſunt,ſeu ſupererint, necnon quæcunque perſonæ particulares,etiam laicæ,uel vniuerſitates,etiam laicorum,quæ teſta mento,vltima voluntate, uel diſpoſitione alia, etiam inter uiuos ali quas tales eleemoſynas facere tenẽtur, dimidiam partem omnium, & quarumcunque eleemoſynarum,& largitionum huiuſmodi quocunque nomine nuncupatarum, quocunque tempore & modo diſtribui ſolitarum,etiam ſi ſpeciali nota dignę,& ſecũdum pias defunctorum, aut aliorum voluntates, ſub certa forma ab eis in teſtamẽto, aut alia quacunque diſpoſitione diſtribuendæ ſint,dummodo non in certas perſonas,nec ad certos uſus pios alios,quam uictus, & alimenta pauperum diſtribuantur, quibuslibet prædictarum Monialium,etiam Tertiariarum, ſub ſolemni religionis uoto, & perpetua clauſura de cætero uiuentibus,& in terris,& locis quorum pauperibus huiuſmodi eleemoſynæ diſtribuęntur conſiſtentibus,uere, realiter, & cum effectu, & abſque ulla eleemoſynarum, & largitionum huiuſmodi petitione,exactione,& conquiſitione, aut alia deſuper à nobis expectata iuſſione,aut mentis noſtræ declaratione, ac quibuſuis mora,ſubterfugio, ac exceptione ceſſantibus,& eiectis dare atq; diſtri-

distribuere omnino teneantur, & quam dimidiam partem nos illis applicamus. Vt autem præmissa omnia cum charitate, & pietate procedant, & efficaciter suum effectum sortiantur, uniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs per Apostolica scripta mandamus, ut quisque per se, uel aliũ, seu alios ad præsentium executionem in suis ciuitatibus, & diæcesibus procedens ab Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, Cõfraternitatibus, Scholis, Collegijs, locis & ecclesiasticis ac laicis personis prædictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemosinarũ huiusmodi exigant, ac pro portione, ut Ordinariis ipsis locorum æquum esse uidebitur, singulis Pauperum Monialium, etiam tertiariarum monasteriis huiusmodi suarum Ciuitatum, & Diœcesum, etiã si alijs superioribus subiectę sint, cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum Ordinarijs, etiam tanquam Apostolicæ sedis delegatis, ac cuilibet illorum, tam per se quam aliũ uel alios præmissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet, & rebelles, per pœnas pecuniarias eorundem Ordinariorum, & cuiuslibet illorum arbitrio infligendas, & applicandas in subsidium sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia quacunque appellatione postposita, respectiue compescendi, auxiliumque brachij secularis inuocãdi, aliaque in præmissis & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur. Insuper quia ualde rationi consonum est, ut etiam ij, qui ipsis monialibus, etiam Tertiarijs indigentibus præfatis, consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in præmissis subsidium conferant, cũ ratio sanguinis, & debitum charitatis, & honestatis id expostulet, singulis locorum Ordinarijs committimus, ut omni eos officio, & diligentia monere, eisque persuadere studeant, parentes uero & fratres, ac alios ad quos illas si in seculo permansissent, dotare pertinebat, uel ad quos bona, & successiones deuenerunt, & qui si eas nuptui tradidissent, multo amplius quam ingredientibus Monasteriũ dedissent, uel qui si eas nunc domi retinerent, uel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscũque uijs ipsis bene uisis inducant, ut Monialibus etiam Tertiariis prædictis iuxta eorum facultates charitatiue subueniant, scituri id sibi etiam ad animarũ salutem plurimũ profuturum. Cæterum quod attinet ad conuersas professas, quas prędictus Pius prędecessor per prædictas literas sub

certis conditionibus ibi contentis, permisit posse manere extra Monasteria, pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum ordinariis iniungimus, ut quibus Monasteriis, prædictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, supradicta vel alia qualibet ratione de sufficienti subuentione, & sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, neque a suis monasteriis amplius exire permittant. Conuersas uerò non professas, & profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras, in Monasteria huiusmodi recipi permittant. Quod autē idem Pius prædecessor statuit, de cætero nullas alias Conuersas professas recipi amplius etiam de consensu suorum superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus, præter illas Cōuersas quæ extra Monasterium in domibus contiguis degerent, eleemosynarum uerò prædictarum contributionem, & applicationem durare, & ualere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus Monialium, etiam Tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum ordinarios, etiam in monasteriis ab eorum cura, & regimine quomodocunque exemptis, cum illarum superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu suorum superiorum, volumus & mandamus) ita imminutus fuerit, ut reliquæ Moniales, & Tertiariæ ex propriis redditibus Monasteriorum ipsorum, uel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant, super quo eorundem Ordinariorum conscientiam oneramus, ita tamen ut decedentibus singulis ex tribus eorundem monialium partibus, tertiæ quoque earundem eleemosynarum partis distributio, & sic succesiue in totum extinguatur, atque in pristinum statum sub debitis, aut solitis oneribus reuertantur, & remaneant. Declaramus præterea nullis Monialibus, etiam tertiariis licere habere ostium per quod ex Monasterio introiri possit ipsarum Monialium ecclesiam exteriorem, in quam secularibus ad missas, & diuina officia patere soleat accessus, sed omnino muro obstruendum; neque itidem licere Monialibus etiam Tertiariis egredi a ianua Monasterij, quæ est pro clausura ipsius monasterij etiam ad claudendum aliam ulteriorem ianuam, qua patere solet aditus secularibus uenientibus, uel ad Rotam, uel ad Crates, seu loca colloquiis

loquiis deſtinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulſandum ipſam ianuam clauſuræ: quæ loca cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant ſecularibus, extra clauſuram cenſeri debent, etiam quo tempore clauſa ſunt. Inſuper quoſcunque dominos, & magiſtratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, ut ad omnem ipſorum ordinariorum, aut alicuius ipſorum petitionem, vel ſimplicem requiſitionem illis in præmiſſis aſſiſtentes, omnem opportunum fauorem, & auxilium præſtent, & exhibeant. Ipſis denique Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis locorum ordinariis præcipimus & mandamus, ut has præſentes noſtras literas (quarum tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem ubique fidem in iudicio, & extra adhiberi debere uolumus, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ uel oſtenſæ) ſinguli in ſua ciuitate, & diœceſi publicent, ac publicari, eaſque iuxta earum continentiam, & tenorem una cum prædictis ac alijs prædicti Pij Quinti, & aliorum prædeceſſorum noſtrorum literis, conſtitutionibus, & iuſſionibus, pro integra clauſuræ inſtauratione, cuſtodia & firmitate editis inuiolabiliter obſeruent, & obſeruari faciant. Non obſtantibus teſtatorum, & aliorum uoluntatibus, & fundationibus, & Bonifacij prædicti de una, & Concilij Generalis de duabus non tamen tribus dictis, ac quibuſuis alijs Apoſtolicis, nec non in prouincialibus, & ſynodalibus concilijs æditis ſpecialibus, uel generalibus, conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſuis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & illorum ordinum hoſpitalium, militiarum, confraternitatum, collegiorum, & aliorum piorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & exemptionibus, libertatibus, gratijs, & literis Apoſtolicis eccleſiis, monaſterijs, & ordinibus, hoſpitalibus, confraternitatibus, collegijs, & pijs locis, ac eorum ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum, derogatorijs, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque &

caueatur expreſſe, quod illis niſi ſub certa inibi expreſſa forma, aut alias derogari non poſſit. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad uerbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de uerbo ad uerbum infererentur præſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac uice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi ſupradictis, uel quibuſuis aliis ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, uel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non faciẽtes plenam, & expreſſam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, ſtatuti, applicationis, conceſſionis, impartitionis, commiſſionis, iniũctionis, declarationis, decreti, uolũtatis, onerationis, hortationis, monitionis, requiſitionis, præcepti, mãdatorum, & derogationis infringere uel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo ſecundo, Tertio kal. Ianuarij, Pontificatus noſtri Anno primo.

M. Datarius

Cæſar Glorierius.

A. de Alexiis.

REGVLA SOCIETATIS NOMINIS Dei, ſeu Iuramentorum præcipua capita.

PRimo unuſquiſq; eorum, qui huic confraternitati adſcribuntur ſummo ſtudio omnique circumſpectione cauere debet, ne glorioſum dei nomen, ac Sanctorum in uanū aſſumat, & ut id ſecurius adſequatur attēdere, ne unquam iuret omnino, niſi aut iuſta neceſſitas, aut fraterna charitas, aut ſuperioris auctoritas exigat, iuxta illud. Nolite iurare omnino, et ſit ſermo ueſter eſt eſt, non nō. Quod ſi aliquando abſque huiuſmodi cauſa iurare contingat, a ſeipſo pœnas exigat, uel elargiendo eleemoſynam, uel dicendo orationem Dominicam, aut ſalutationem Angelicam, ut hoc ueluti freno in poſterum cohibeatur. Si quis uero eorum ſanctum Dei nomē blaſphemauerit, aut Beatiſſimæ Virginis, aliorumue Sanctorum, ſolent huiuſmodi regulæ cōfratres, eccleſiam eo die ſi commode poſſint adire, & flexis genibus, & procumbentes ueniam petere, dicentes ter Dominicam orationem, cum ſalutatione Angelica, & inferentes aliquam eleemoſynam in locum ad hoc deputatum.

Secundo ſi aliqui horum confratrum ſunt patresfamilias, filijs atque domeſticis quam ſerio præcipiant, ne nomen Domini indigne ab eis aſſumatur, & quos intellexerint in hoc deficere paterne admoneant, & corrigant, ut tandem a proprijs ędibus deteſtabile hoc uitium eliminetur.

Tertio ſi quando extraneos, aut blaſphemantes, aut temere iurantes audierint, quando ſecundum prudentiam utile futurum exiſtimabunt, debent modeſte ac benigne eos admonere, quoties eius rei neceſſitas fuerit, ut ſemper inter eos ſit, qui pro die nomine ęmulari uideatur.

Quarto huius ſocietatis confratres, in die circumciſionis Domi-

ſcribuntur aſſenſu deliguntur duo uiri probati, qui huic ſocietati pręſint, & aſſignãtur eis alij tres aut quatuor conſiliarij, ut ea quæ pertinent ad conſeruationẽ, et promotionem huius ſocietatis in communi decernant, & ſingulis annis ab iſtis qui pręceſſerunt deſignantur, quorum eſt officium curare, ut hæ Miſſæ priuatæ ſingulis annis non omittantur, & feſtum Dominici nominis ſolemnius peragatur. Alter etiam præpoſitus clauem vnam, & unus conſiliariorum clauem alteram ſecum gerit illius capſulæ, in quam eiuſmodi eleemoſinæ, & iurantium pœnæ inſeruntur, vt tertio quoque menſe in communi oblatam pecuniam effundãt, & acceptam ſcripto referãt, & eorum arbitrio expendatur, & pro ſtipendiis ſacerdotũ celebrantium, & pro aliis neceſsitatibus ſubleuãdis, maxime eorum, qui huic regulæ ſunt adſcripti.

INDVLGENTIAE, ET PRIVILEGIA concesſa ſodalitati eidem nominis Dei a ſanctiſsimo Domino fe. re. Pio Papa Quarto.

PIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei.

VNIVERSIS Chriſtifidelibus pręſentes literas inſpecturis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Saluatoris, & domini noſtri Ieſu Chriſti Dei patris vnigeniti, qui pro redemptione generis humani de ſummo cælorũ ſolio ad huius mundi infima deſcendere, & carnem noſtram ex vtero virgineo aſſumere, ac poſt peractum ad noſtrã inſtructionem huius vitæ curſum in ara Crucis pretium exoluere dignatus eſt, uices licet immeriti gerentes in terris, gregemque Dominicum noſtræ curę diuinitus commiſſum ad uitam lucis æternæ perduci cupientes, iuxta creditum nobis Apoſtolicæ ſeruituris officium fideles cunctos, quorum merita pro demeritis penitus ſunt imparia, ad mala euitanda, ueraque & ſolida bona amplexanda, ac altiſſimi uiam ingrediendum, ſpiritualibus muneribus, indulgentiis uidelicet, & peccatorum remiſſionibus frequẽter inuitamus, ut fideles ipſi per deuotionis ſinceritatem, & bonorum operum exercitium, abolita ſuorũ delictorum macula, diuinę gratiæ promerendæ reddantur aptiores. Cum itaque ſicut accepimus

mus dudum dilectus filius Didacus de Victoria frater conuentus ſancti Pauli Burgen. ordinis fratrum prædicatorum, egregius verbi Dei prædicator zelo diuini nominis permotus, ad cauendos iuramentorum,& blaſphemiarum abuſus vnam ſaluberrimã Confraternitatem, ſub uocabulo nominis Dei inſtitui curauerit, cuius confratrum partes potiſſimum eſſent,certa etiam regula ſuper hoc compoſita, omni diligentia cauere, ne uel ipſi, uel alij coram eis aliquo modo niſi ob cauſam grauiſſimam iurarent, & contrafacientes modeſte admonerent. Ex qua confraternitate in diuerſis ciuitatibus, & oppidis Hiſpaniarum rite inſtituta, & recepta,quamplurimi Chriſtifideles ſe illi conſcribi fecerint, quorum opera & ſtudio blaſphemię atque periuria, & alia illicita iuramenta prohibeantur: cumq; eiuſdem confraternitatis ſalutaris fructus ubique ſit manifeſtus, Venerabiles fratres noſtri Epiſcopi partiũ illarũ eã quibus poſſunt fauoribus promoueant: Nos ut dicta confraternitas in maiori ſemper reuerentia habeatur, & Chriſtifideles eo libentius illam ingrediantur,quo ipſa amplioribus decorata ſpiritualium gratiarum donis, & Apoſtolicis fuerit ſuffulta priuilegijs: de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis dictæ confraternitatis ubiuis terrarum, & locorum nunc & pro tempore diffuſæ utriusque ſexus confratribus in illa nunc, & pro tempore deſcriptis, ubilibet conſtitutis, ſiue ſub eiuſdem confraternitatis regula prius edita, ſiue ſub alia ſimili comprehendantur, qui uere pænitentes, & confeſſi die feſto Circumciſionis domini noſtri Ieſu Chriſti, annis ſingulis in perpetuum,ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ſuſceperint, & ſolemnitati,per ipſam confraternitatem dicto die feſto,ubiuis locorum pro tempore celebrari ſolitæ, in toto, uel in parte interfuerint, quoties id egerint,toties pro quolibet die feſto huiuſmodi plenariam omnium & ſingulorum, ac quorumcunque peccatorum ſuorũ indulgentiam, remiſſionem, & abſolutionem prout in Anno Iubi-

blaſphemantem modeſte, & charitatiue quandocunque admonuerint, pro qualibet uice centum dies: & cuicunque uerbi Dei prædicatori ſeculari, uel cuiusuis ordinis regulari, qui Christifideles, ut à iuramentorum abuſibus caueant, & hanc dictæ confraternitatis Regulam amplectantur hortatus fuerit, decem annos de iniunctis ſibi pænitentijs in forma Eccleſię conſueta miſericorditer in Domino relaxamus. Et ut ipſi confratres dictæ indulgentiæ plenariæ Deo propitio facilius efficiantur participes, illis & eorum ſingulis indulgentiam huiuſmodi conſequi uolentibus, ut dicto die feſto Circumciſionis occurrente, quoſcunque ſibi bene uiſos idoneos presbyteros ſeculares, uel cuiuſuis ordinis regulares, per Ordinarium loci approbandos, in ſuos poſſint eligere confeſſores, qui confeſſionibus ipſorum diligenter auditis, eos & eorum quemlibet ab omni & quacunque excõmunicationis etiam maioris, & ab omnibus, & quibuſuis alijs eccleſiaſticis ſentẽtijs, cenſuris & pœnis à iure, uel ab homine, aut miſtim quauis occaſione, uel cauſa latis (ſaluo tamen iure tertij) nec non ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam locorum ordinarijs, ac ſedi Apoſtolicæ reſeruatis (præterquam in Bulla die cænæ Domini legi conſueta contentis) dicta auctoritate Apoſtolica abſoluere, eiſque pro commiſſis pænitentiam ſalutarem iniungere, ac uota quæcũque (Hieroſolymitano, viſitationis liminũ beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli prædictorum de Vrbe, & Iacobi in Compoſtella, nec non caſtitatis, & religionis uotis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare ualeant, ſimiliter auctoritate, & tenore præmiſſis perpetuo concedimus & indulgemus. Mandantes uniuerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs cæteris eccleſiarum Prælatis, & locorum ordinarijs ubilibet conſtitutis, eorumque generalibus, & in ſpiritualibus Vicarijs, & officialibus, quod ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro confratrum prædictorum parte fuerint requiſiti, eidem confraternitati prædictæ pro poſſe faueant, fauorabiliter aſſiſtant, & illam promouere procurent. Præſentibus, quas nunquam etiam per nos, aut alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, uel ſedem præfatam, aut alios quoſcunque quomodolibet reuocari, ſuſpendi, limitari, reduci, modificari, aut eis in aliquo derogari poſſe, neque ſub quibuſuis illarum, aut ſimilium, uel diſſimilium indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, ſuſ-

penſionibus, alterationibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus in genere, uel in ſpecie per nos, uel ſucceſſores noſtros, aut ſedem præfatã ſeu quoſ uis alios, & ex quibuſcunque etiam urgentiſſimis, & neceſſarijs cauſis etiam pro fabrica, baſilicæ principis Apoſtolorum de urbe, Cruciata ſancta, uel expeditione contra infideles, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Principum, uel aliorum inſtantiam, ſeu eorum contemplatione, uel etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac alias quomodolibet canonice, uel de facto, nunc, & pro tempore impoſitis, & factis, ullatenus unquam comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & ualidiſſimum ſtatum reſtitutas, & denuo conceſſas, cenſeri decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi aliqua alia indulgentia fuerit per nos aliquo loco eidem confraternitati conceſſa, præſentes, quo ad locum huiuſmodi, nullæ ſint. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo, ſexageſimo quarto, Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

ERRATA.

Pagina 5. linea 23. quam. lege. quantum. 8. 11. ſuſt incantur. eadem. 13. dele, &. 16. 8. eos eoſq. 21. ult, ut. aut. poſt pag. 21. pone num, 22. 23. 23. 8. ut infirmos. 29. 24. meminerint. 40. 15. hoſtias. 43, 2, incuriam. 44. 2. quandiu. ead. 7. reponat. 46. 25. in. a. 57. 20. ad vicarium, quinque ad notarium. 65. 24. cupiditates.

In annotationibus marginalibus 27. 22, dele aunotationem. 39. 21. c. 12. 41. 9. c. 2, adde, de reform. 45. 5. c. 3. de reform. 46. 18. adde. de regula, & monia 69. 6. cap. 11. de reform.